







OFFICIA PROPRIA
CORDUBENSIS ECCLESIÆ,

SS. D. N. GREGORII XIII. ET CLEMENTIS VIII.
AUCTORITATE APPROBATA, ET CONCESSA.

ADDUNTUR

ALIA NUPER A SANCTA SEDE SIMILITER
concessa, & varia, quæ, ut facilius recitetur
optabantur.

DE EXCELENTISSIMI, AC ILLUSTRISSIMI

D. D. ANTONII CAVALLERO, ET GONGORA,
Archiepiscopi, Episcopi Cordubensis mandato, ac ejusdem Almæ Ecclesiæ Decani, & Capituli.



SUPERIORUM PERMISSU.

CORDUBÆ: Ex Typographia D. Joannis Rodriguez
de la Torre. *Anno* 1794.

LICENCIA.

NOS D. PATRICIO MARTINEZ DE BUSTOS y Manrique, Arcediano de Trastamara, y Dignidad de la Santa Apostólica Metropolitana Iglesia de Santiago, Individuo Nato de la Junta de la Inmaculada Concepcion, Capellan de honor de S. M., de su Consejo, Comisario Apostólico General de la Santa Cruzada, y demás gracias en todos sus Reynos y Señoríos; y Juez privativo Apostólico y Real para todo lo tocante al nuevo Rezado, su impresion, tasa y distribucion.

Por *la presente damos licencia ál Doct. Don Pedro de Barcia y Camacho, Presbytero, Beneficiado de la Villa de Morente en el Obispado de Cordoba, para que pueda hacer imprimir mil exemplares del Quadernillo de Santos propios de aquella Diocesi; sin incurrir por ello en pena alguna, mediante que para esta impresion ha dado su permiso*

¶ *el*

el Padre Administrador del mismo nuevo Rezado Fr. Juan Guzman, por la regalía que pertenece ál Real Monasterio de San Lorenzo del Escorial. Y mandamos que esta nuestra licencia se ponga ál principio de cada uno de dichos Quadernillos; y que ninguno de los Impresores y Libreros, ni otra persona pueda imprimir, enquadernar, ni vender mas que los referidos mil exemplares, pena de cincuenta ducados, aplicados por mitad ál referido Real Monasterio, y santos fines de Cruzada. Dada en Madrid á treinta y uno de Julio de mil setecientos noventa y dos.

Don Patricio Martinez y Bustos.

Por mandado de S. I.

Antonio de Quadra.

APROBATIO, ET CONCESIO SANCTISSIMI D. N. P. Gregorii XIII. & Clementis VIII.

SAnctissimus D. N. Pontifex Clemens VIII. approbavit, & concessit Officia propia Ecclesiæ Cordubensis, quæ jam olim á fœlicis recordationis Gregorio XIII. approbata, & concessa erant: & concessit prætereá, ut de omnibus Sanctis Martyribus, qui in Martyrologio Romano reperiuntur, Officia publica fieri possint cum Lectionibus sumptis ex historia Divi Eulogii: ut constat ex literis Cæsaris Baronii Cardinalis, ejus manu, & sigillo munitis, Romę decimo nono Februarii, anno Domini millesimo sexcentesimo primo.


CORDUBENSIS.

AD *enixas Episcopi, humillimasque preces Capituli Ecclesiæ Cathedralis Cordubensis S. R. C. porrectas, in eaque per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem Belluga relatas, Sacra eadem Congregatio ex circunstantiis in supplici libello expressis, benigné indulsit, ut in posterum singulis annis ab universo Clero præfatæ Civitatis, & Diœcesis tám die septima Maii, quám vigesima quarta Octobris, Officium Sancti Raphaelis Archangeli sub ritu duplici, nec non etiam semél in mense die non impedita, & exceptis Adventus, quatuor Temporum, Quadragesimæ, ac Vigiliarum temporibus, sub ritu tamen semiduplici recitari, & Missa respectivé celebrari possit, & valeat. Die* 27 *Septemb.* 1738.

F. L. A. Cardinalis Guadagni, Presb. Prefectus.

Loco ✠ sigilli.

J. Patriarcha Jerosolym. Secret.



For-

Forsám, lector, immemor antiquitatis, sepé, cur denuò inter Officia Sanctorum Cordubensium propria, etiam Archangelorum Gabrielis, & Raphaelis, atque Angeli Custodis misceantur, dubitabis: & ne forté solicitior fias, super primum, & tertium, non solúm Cordubensia Breviaria ab anno 1489, usque ad 1547, edita percurre: verúm etiam R. P. Martinum de Roa Soc. Jesu de eorum vetustate agentem consule. At pro Divo Raphaele, extra privilegium supra relatum, & aliud anno 1650 concessum, accede ad D. Petrum Mesía de la Cerda in certamine, & Petrum Diaz de Rivas, atque ad Mag. Fr. Bonaventuræ del Prado Ordinis Sanctisimæ Trinitatis Provincialis Centurias, ex quibus noveris, quanta apud Cordubenses ratio existat, ut merito Cœlites ipsos inter propria locum habere valeant, & debeant.

KALENDARIUM

PROPRIUM CORDUBENSIS ECCLESIÆ, & Diœcesis.

JU-

JULIUS.

AUGUSTUS.

SEPTEMBER.

OCTOBER.

NOVEMBER.

OFFI-

OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM ECCLESIÆ
CORDUBENSIS.

FESTA JANUARII.

DIE XIX. JANUARII.

In festo SS. Gumesindi, & Servi Dei Mart. Dup.

Ad Vesperas. Aña.

OMnes sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam martyrii.

Psalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo: * Sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio iniminorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: * Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

Dominus à dextris tuis, * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Aña. Omnes sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam martyrii.

Aña. Cum palma ad regna pervenerunt sancti, coronas decoris meruerunt de manu Dei.

Psalmus 110.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: * in consilio justorum, & congregatione.

Magna opera Domini: * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio, & magnificentia opus ejus: * & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus: * escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis hereditatem gentium: * opera manuum ejus veritas, & judicium.

Fidelia omnia mandata ejus confirmata in sæculum sæculi, * facta in veritate, & æquitate.

Redemptionem misit populo suo:

suo : * mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum, & terribile nomen ejus : * initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum : * laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

Aña. Cum palma ad regna pervenerunt sancti, coronas decoris meruerunt de manu Dei.

Aña. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt : & vivent nomina eorum in æternum.

Psalmus 111.

BEatus vir, qui timet Dominum : * in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generatio rectorum benedicetur.

Gloria, & divitiæ in domo ejus : * justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis : * misericors, & miserator, & justus.

Jucundus homo, qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in judicio : * quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus : * ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : * non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet : * desiderium peccatorum peribit.

Aña. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt : & vivent nomina eorum in æternum.

Aña. Martyres Domini Dominum benedicite in æternum.

Psalmus 112.

LAudate pueri Dominum : * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum, * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus : * & super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat : * & humilia respicit in cœlo, & in terra?

Suscitans à terra inopem : * & de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus : * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo : * matrem filiorum lætantem.

Aña. Martyres Domini Dominum benedicite in æternum.

Aña. Martyrum chorus laudate Dominum de cœlis, alleluia.

Psal-

Psalmus 116.

LAudate Dominum omnes Gentes: * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * & veritas Domini manet in æternum.

Aña. Martyrum chorus laudate Dominum de cœlis, alleluia.

Capitulum. Sap. 3.

JUstorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

SAnctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus socii, gestaque fortia;
Gliscens fert animus promere cantibus
Victorum genus optimum.

Hi sunt, quos fatuè mundus abhorruit:
Hunc fructu vacuum, floribus aridum
Contempsere tui nominis asseclæ Jesu Rex bone cœlitum.

Hi pro te furias, atque minas truces
Calcarunt hominum, sævaque verbera:
His cessit lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.

Cæduntur gladiis more videntium:
Non murmur resonat, non querimonia;
Sed corde impavido mens bené conscia
Conservat patientiam.

Quæ vox, quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu Martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido sanguine fulgidis
Cingunt tempora laureis.

Te, summa ò Deitas, unaque poscimus,
Ut culpas abigas, noxia subtrahas:
Des pacem famulis, ut tibi gloriam
Annorum in seriem canam.
Amen.

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Magnificat Aña.

Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.

Canticum B. Mariæ Virginis.
Luc. 1. c.

MAgnificat * anima mea Dominum:

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humillitatem ancillæ suæ: * ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia

Quia fecit mihi magna qui potens est : * & sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus à progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo : * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * & exaltavit humiles.

Esurientes implebit bonis : * & divites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, * recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, & semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, & Filio.

Aña. Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni, & laverunt stolas suas in sanguine Agni.

Oratio.

DEus, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum Gumesindi, & Servi Dei solemnitate lætificas : concede propitius; ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum, &c.

Ad Matutinum Invitat.

Regem Martyrum Dominum, * Venite adoremus.

Regem Martyrum Dominum, * Venite adoremus.

Psalmus 94.

VEnite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutári nostro : præoccupemus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei. Regem Martyrum Dominum, * Venite adoremus.

Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos : quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit. Venite adoremus.

Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus; venite adoremus, & procidamus ante Deum : ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster : nos autem populus ejus, & oves pascuæ ejus. Regem Martyrum Dominum, * Venite adoremus.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto : ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt, & viderunt opera mea. Venite adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: semper hi errant corde : ipsi verò non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. Re-

Regem Martyrum Dominum, * Venite adoremus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Venite adoremus. Regem Martyrum Dominum, * Venite adoremus.

Hymnus.

CHristo profusum sanguinem,
Et Martyrum victorias,
Dignamque cœlo lauream
Lætis sequamur vocibus.

Terrore victo sæculi,
Pœnisque spretis corporis,
Mortis sacræ compendio
Vitam beatam possident.

Traduntur igni Martyres,
Et bestiarum dentibus:
Armata sevit ungulis
Tortoris insani manus.

Nudata pendent viscera:
Sanguis sacratus funditur;
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gratia.

Te nunc Redemptor quæsumus,
Ut Martyrum consortio
Jungas precantes servulos
In sempiterna sæcula. Amen.

In primo Nocturno. Aña.

Secùs decursus aquarum plantavit vineam justorum, & in lege Domini fuit voluntas eorum.

Psalmus 1.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, * & in cathedra pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus, * & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo:

Et folium ejus non defluet: * & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.

Ideò non resurgent impii in judicio: * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum: * & iter impiorum peribit.

Aña. Secùs decursus aquarum plantavit vineam justorum, & in lege Domini fuit voluntas eorum.

Aña. Tamquam aurum in fornace provabit electos Dominus: & quasi holocausta accepit eos in æternum.

Psalmus 2.

QUare fremuerunt Gentes, * & populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum * adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * & projiciamus à nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit

bit eos: * & Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * & in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, * & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * & tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * & exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, * & pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Aña. Tamquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausta accepit eos in æternum.

Aña. Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum est immortalis in æternum.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum: * & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo milia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * & super populum tuum benedictio tua.

Aña. Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum est immortalis in æternum.

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi.

℟. Et gloriamini omnes recti corde. Pater noster.

Absolutio.

Exaudi Domine Jesu Christe preces servorum tuorum, & miserere nobis, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio.

Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus. ℟. Amen.

Lect.

Lect. j. De Scriptura occurrente.

℟. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum: & jam non erit ampliùs neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: * Quoniam priora transierunt. ℣. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Quoniam priora. ℣. Jube domne benedicere. Unigenitus Dei Filius nos benedicere, & adjuvare dignetur. ℟. Amen.

Lectio ij.

℟. Viri sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua: * Et ideò coronas triumphales meruerunt. ℣. Unus spiritus, & una fides erat in eis. Et ideò. ℣. Jube domne benedicere. Spiritus sancti gratia illuminet sensus, & corda nostra. ℟. Amen.

Lectio iij.

℟. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia: * Et meruerunt habere coronas perpetuas. ℣. Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni. Et meruerunt. Gloria Patri. Et meruerunt.

In secundo Nocturno, Aña. Dabo sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei, dicit Dominus.

Psalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * & operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * & opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, & non decipit: * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit:

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

Aña. Dabo sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei, dicit Dominus.

Aña. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas inter illos.

Psalmus 15.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eo-

eorum: * posteà acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: * tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: * etenim hereditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper, & usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam á dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea: * insuper & caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, * delectationes in dextera tua usque in finem.

Aña. Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates meas inter illos.

Aña. Sancti, qui sperant in Domino, habebunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt, & non deficient.

Psalmus. 23.

DOmini est terra, & plenitudo ejus: * orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * & super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo:

Hic accipiet benedictionem à Domino: * & misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis, & potens: Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Aña. Sancti, qui sperant in Domino, habebunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt, & non deficient.

℣. Exultent justi in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia. Pater noster.

Ab-

Absolutio.

Ipsius pietas, & misericordia nos adjuvet, qui cum patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio.

Deus Pater omnipotens sit nobis propitius, & clemens. ℟. Amen.

Ex Divo Eulogio in Memoriali Sanctorum.

Lib. 2. cap. ix.

Lectio jv.

GUmesindus Presbyter Toletanus cùm utroque parente puer adhuc parvulus Cordubam veniens, in æde Sanctorum Fausti, Januarii, & Martialis digna præceptorum educatione in Dei timore clarescit; & ad sacerdotium evectus, cuidam Ecclesiæ Campaniæ Cordubensis præficitur. Inde ad urbem ipse descendens, & cum eo Beatus Servus Dei Monachus, qui tunc in supradicto sanctuario adhuc juvenis, cum Paulo Presbytero reclusus manebat, Judicibus se sistentes, pro Christi fide martyrio coronantur anno Domini octingentesimo quinquagesimo secundo, idibus Januarii: quorum corpora furtim à Christianis sublata in Basilica Sancti Christophori Martyris inhumantur.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illesi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percusit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes innudaverunt. Terra apparuit. ℣. Jube domne benedicere. Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ. ℟. Amen.

Sermo Sancti August. Episc.

Serm. 47. de Sanctis.

Lectio v.

QUotiescumque, fratres charissimi, sanctorum Martyrum solemnia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus à Domino consequi temporalia beneficia: ut ipsos Martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab ipsis enim sanctorum Martyrum in veritate festivitatum gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum exhortationes sunt martyriorum: ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut heredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes. ℣. Jube domne benedicere. Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris. ℟. Amen.

Lectio vj.

SEd nos volumus gaudere cum sanctis : & tribulationem mundi nolumus sustinere cum ipsis. Qui enim sanctos Martyres, in quantum potuerit, imitari noluerit ; ad eorum beatitudinem non poterit pervenire. Sed & Paulus Apostolus prædicat, dicens : Si fuerimus socii passionum, erimus, & consolationum. Et Dominus in Evangelio : Si mundus vos odit : scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Recusat esse in corpore, qui odium non vult sustinere cum capite. ℟. Tanquam aurum in fornace provabit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos : & in tempore erit respectus illorum : * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem : & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno. Aña.

Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.

Psalmus 32.

EXultate justi in Domino : * rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in cithara : * in psalterio decem chordarum psallite illi.

Cantate ei canticum novum : * benè psallite ei in vociferatione.

Quia rectum est verbum Domini, * & omnia opera ejus in fide.

Diligit misericordiam & judicium : * misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini cœli firmati sunt : * & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris : * ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra : * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, & facta sunt : * ipse mandavit, & creata sunt.

Dominus dissipat consilia Gentium : * reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.

Consilium autem Domini in æternum manet : * cogitationes cordis ejus in generationem & generationem.

Beata gens, cujus est Dominus, Deus ejus ; * populus, quem elegit in hereditatem sibi.

De cœlo respexit Dominus : * vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo suo : * respexit super omnes, qui habitant terram.

Qui finxit singillatim corda eorum : * qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvatur rex per multam virtutem : * & gigas non sal-

salvabitur in multitudine virtutis suæ.

Fallax equus ad salutem : * in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

Ecce oculi Domini super metuentes eum : * & in eis, qui sperant super misericordia ejus:

Ut eruat á morte animas eorum : * & alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum : * quoniam adjutor, & protector noster est.

Quia in eo lætabitur cor nostrum : * & in nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua Domine super nos : * quemadmodum speravimus in te.

Aña. Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.

Aña. Tradiderunt corpora sua in mortem, ne servirent idolis : ideò coronati possident palmam.

Psalmus 33.

BEnedicam Dominum in omni tempore : * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea : * audiant mansueti, & lætentur.

Magnificate Dominum mecum : * & exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, & exaudivit me : * & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, & illuminamini : * & facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum : * & de omnibus tribulationibus ejus salvabit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum : * & eripiet eos.

Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus : * beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti ejus : * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, & esurierunt : * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me : * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam : * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo : * & labia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, & fac bonum : * inquire pacem, & persequere eam.

Oculi Domini super justos : * & aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala : * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos: * & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Jux-

Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: * & humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum: * & de omnibus his liberavit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * & qui oderunt justum delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: * & non delinquent omnes, qui sperant in eo.

Aña. Tradiderunt corpora sua in mortem, ne servirent idolis: ideò coronati possident palmam.

Aña. Ecce merces sanctorum copiosa est apud Deum: ipsi verò mortui sunt pro Christo, & vivent in æternum.

Psalmus 45.

DEus noster refugium, & virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: * & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatæ sunt Gentes, & inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ possuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: * & scuta comburet igni:

Vacate, & videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Aña. Ecce merces sanctorum copiosa est apud Deum: ipsi verò mortui sunt pro Christo, & vivent in æternum.

℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum. Pater noster.

Absolutio.

A vinculis peccatorum nostrorum absolvat nos omnipotens, & misericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio.

Evangelica lectio sit nobis salus, & protectio. ℟. Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lecto vij. *Cap.* 21. *c.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cùm audierri-

Decentem ...

ritis prælia, & seditiones, nolite terreri; oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 35. *in Evangelia.*

DOminus, ac Redemptor noster perituri mundi præcurrentia mala denuntiat, ut eo minùs perturbent venientia, quò fuerint præscita. Minùs enim jacula feriunt, quæ prævidentur: & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur. Ecce enim dicit: Cùm audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet enim primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Pensanda sun verba Redemptoris nostri, per quæ nos aliud interiùs, aliud exteriùs passuros esse denuntiat. Bella quippè ad hostes pertinent, seditiones ad cives. Ut ergo nos indicet interiùs, exteriusque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud à fratribus perpeti.

℟. Propter testamentum Domini, & leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Quia unus. ℣. Jube domne benedicere. Quorum festum colimus, ipsi intercedant pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

Lectio viij.

SEd his malis prævenientibus, quia non statim finis sequatur, adjungit: Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum: & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. Ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur: & per crebra mala, quæ præveniunt, indicantur mala perpetua, quæ subsequentur. Et ideò post bella, & seditiones non statim finis: quia multa debent mala præcurrere, ut malum valeant sine fine nuntiare.

℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis: * Mercedem laboris ego reddam vobis. ℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria Patri. Mercedem. ℣. Jube domne benedicere. Ad societatem civium supernorum perducat nos Rex Angelorum. ℟. Amen.

Lectio ix.

SEd cùm tot signa perturbationis dicta sint, oportet, ut eorum considerationem breviter per singula perstringamus: quia necesse est, ut alia è cœlo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patia-

mur. Ait enim : Surget gens contra gentem, ecce perturbatio hominum : erunt terræmotus magni per loca ; ecce respectus iræ desuper : erunt pestilentiæ, ecce inæqualitas corporum : erit fames, ecce sterilitas terræ : terroresque de cœlo, & tempestates, ecce inæqualitas aëris. Quia ergo omnia consummanda sunt, ante consummationem omnia perturbantur : & qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur : ut impleatur quod dicitur : & pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.

Hymnus SS. Ambrosii, & Augustini.

TE Deum laudamus : te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem omnis terra veneratur:

Tibi omnes Angeli : tibi cœli, & universæ potestates.

Tibi Cherubim & Seraphim: incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli & terra : majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus laudat exercitus,

Te per orbem terrarum, sancta confitetur Ecclesia,

Patrem immensæ majestatis,

Venerandum tuum verum, & unicum Filium.

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominem : non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo: aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni : quos pretioso Sanguine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis: in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum Domine : & benedic hereditati tuæ.

Et rege eos : & extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies, benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum : & in sæculum sæculi.

Dignare Domine die isto : sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine : miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine su-

super nos : quemadmodum speravimus in te.

In te Domine speravi : non confundar in æternum.

Ad Laudes , & per Horas. Aña.

OMnes sancti quanta passi sunt tormenta : ut securi pervenirent ad palmam martyrii.

Psalmus 92.

DOminus regnavit , decôrem indutus est : * indutus est Dominus fortitudinem , & præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ , * qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc : * à sæculo tu es.

Elevaverunt flumina Domine: * elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos : * à vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris , * mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis : * domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

Aña. Omnes sancti quanta passi sunt tormenta : ut securi pervenirent ad palmam martyrii.

Aña. Cùm palma ad regna pervenerunt sancti , coronas decôris meruerunt de manu Dei.

Psalmus. 99.

JUbilate Deo omnis terra : * servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus , * in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus : * ipse fecit nos , & non ipsi nos.

Populus ejus , & oves pascuæ ejus : * introite portas ejus in confessione , atria ejus in hymnis : confitemini illi.

Laudate nomen ejus : quoniam suavis est Dominus , in æternum misericordia ejus , * & usque in generationem & generationem veritas ejus.

Aña. Cùm palma ad regna pervenerunt sancti , coronas decôris meruerunt de manu Dei.

Aña. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt : & vivent nomina eorum in æternum.

Psalmus 62.

DEus Deus meus * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea , * quàm multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta , & invia , & inaquosa : * sic in sancto apparui tibi , ut viderem virtutem tuam , & gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas : * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * & in nomine tuo levabo manus meas.

Si-

Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea: * & labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.

Hic non dicitur Gloria.

Psalmus 66.

DEus misereatur nostri, & benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam; * in omnibus Gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent Gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, & Gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: * & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri.

Aña. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt: & vivent nomina eorum in æternum.

Aña. Martyres Domini Dominum benedicite in æternum.

Canticum trium puerorum.

Danielis 3.

BEnedicite omnia opera Domini Domino: * laudate, & super exaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: * benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol & luna Domino: * benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: * benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æstus Domino: * benedicite frigus & æstus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: * benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Do-

Domino: * benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: * benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes & colles Domino: * benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: * benedicite mária & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis, Domino: * benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino: * benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum: * laudet & superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: * benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus & animæ justorum Domino: * benedicite sancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino: * laudate & superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu: * laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: * & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula.

Hic non dicitur Gloria.

Aña. Martyres Domini Dominum benedicite in æternum.

Aña. Martyrum chorus laudate Dominum de cœlis, alleluia.

Psalmus 148.

LAudate Dominum de cœlis: * laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: * laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum sol & luna: * laudate eum omnes stellæ & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: * & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: * ipse mandavit, & creata sunt.

Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: * præceptum posuit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra: * dracones, & omnes abysi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: * quæ faciunt verbum ejus:

Montes, & omnes colles: * ligna fructifera, & omnes cedri:

Bestiæ, & universa pecora: * serpentes, & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: * principes, & omnes judices terræ.

Juvenes, & virgines: senes cum junioribus laudent nomen Domini: * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum & terram: * & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus: * filiis Israël, populo appropinquanti sibi.

Hic non dicitur Gloria.

Psalmus 149.

CAntate Domino canticum novum: * laus ejus in Ecclesia sanctorum.

Lætetur Israël in eo, qui fecit eum: * & filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro: * in tympano, & psalterio psallant ei:

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: * & exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria: * lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum: * & gladii ancipites in manibus eorum:

Ad faciendam vindictam in nationibus, * increpationes in populis:

Ad alligandos reges eorum in compedibus: * & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: * gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Gloria.

Psalmus 150.

LAudate Dominum in sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: * laudate eum in psalterio, & cithara.

Laudate eum in tympano, & choro: * laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: * omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri.

Aña. Martyrum chorus laudate Dominum de cœlis, alleluia.

Capitulum. *Sap.* 3.

JUstorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.

Hymnus.

REx gloriose Martyrum,
Corona Confitentium,
Qui respuentes terrea
Perducis ad Cælestia.

Aurem benignam protinus
Intende nostris vocibus:
Trophea sacra pangimus:
Ignosce quod deliquimus.

Tu

Tu vincis inter Martyres,
Parcisque Confessoribus:
Tu vince nostra crimina,
Largitor indulgentiæ.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Exultabunt sancti in gloria.
℟. Lętabuntur in cubilibus suis.

Ad Benedictus Antiphona.

Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere: multis passeribus meliores estis vos.

Canticum Zachariæ. Luc. 1. g

BEnedictus Dominus Deus Israël, * quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ:

Et erexit cornu salutis nobis, * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui á seculo sunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, * & de manu omnium qui oderunt nos:

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: * & memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, * daturum se nobis:

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, * serviamus illi.

In sanctitate & justitia coram ipso, * omnibus diebus nostris.

Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus: * in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri: * in quibus visitavit nos, oriens ex alto:

Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent: * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri. Sicut erat.

Aña. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere: multis passeribus meliores estis vos.

Oratio.

DEus, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum Gumesindi, & Servi Dei solemnitate lætificas: concede propitius; ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

AD PRIMAM.

Hymnus.

JAm lucis orto sidere
Deum precemur supplices,
Ut in diurnis actibus
Nos servet à nocéntibus.
Linguam refrenans témperet:
Ne litis horror insonet:
Visum fovendo cóntegat,
Ne vanitates hauriat.
Sint pura cordis intima,
Absistat & vecordia:

Car-

Carnis terat superbiam
Potus, cibique parcitas:
Ut cum dies abscesserit,
Noctemque sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canâmus gloriam.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne sęculum.
Amen.

Aña. Omnes sancti.

Psalmus 53.

DEus in nomine tuo salvum me fac: * & in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationom meam: * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam: * & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: * & Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: * & in veritate tua disperde illos.

Voluntarié sacrificabo tibi, * & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: * & super inimicos meos despexit oculus meus.

Psalmus 118.

BEati immaculati in via: * qui ambulant in lege Domini.

Beati qui scrutantur testimonia ejus: * in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, * in viis ejus ambulavérunt.

Tu mandasti * mandata tua custodiri nimis.

Utinam dirigantur viæ meæ, * ad custodiendas justificationes tuas.

Tunc non confundar, * cúm perspexero in omnibus mandatis tuis.

Confitebor tibi in directione cordis: * in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

Justificationes tuas custodiam: * non me derelinquas usquequaque.

In quo corrigit adolescentior viam suam? * in custodiendo sermones tuos.

In toto corde meo exquisivi te: * ne repellas me á mandatis tuis.

In corde meo abscondi eloquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedictus es Domine: * doce me justificationes tuas.

In labiis meis, * pronuntiavi omnia judicia oris tui.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, * sicut in omnibus divitiis.

In mandatis tuis exercebor: * & considerabo vias tuas.

In justificationibus tuis meditabor: * non obliviscar sermones tuos.

Re-

Retribue servo tuo, vivifica me: * & custodiam sermones tuos.

Revela oculos meos: * & considerabo mirabilia de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscondas á me mandata tua.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, * in omni tempore.

Increpasti superbos: * maledicti qui declinant á mandatis tuis.

Aufer á me opprobrium, & contemptum: * quia testimonia tua exquisivi.

Etenim sederunt principes, & adversum me loquebantur: * servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

Nam & testimonia tua meditatio mea est: * & consilium meum justificationes tuę.

Adhesit pavimento anima mea: * vivifica me secundúm verbum tuum.

Vias meas enuntiavi, & exaudisti me: * doce me justificationes tuas.

Viam justificationum tuarum instrue me: * & exercebor in mirabilibus tuis.

Dormitavit anima mea prę tędio: * confirma me in verbis tuis.

Viam iniquitatis amove á me: * & de lege tua miserere mei.

Viam veritatis elegi: * judicia tua non sum oblitus.

Adhęsi testimoniis tuis Domine: * noli me confundere.

Viam mandatorum tuorum cucurri, * cúm dilatasti cor meum.

Aña. Omnes sancti, quanta passi sunt tormenta: ut securi pervenirent ad palmam martyrii.

Capitulum.

Regi sęculorum immortali, & invisibili, soli Deo honor, & gloria in sęcula sęculorum, Amen. ℟. Deo gratias.

℟. *breve.* Christe Fili Dei vivi, * Miserere nobis. *& repetitur,* Christe Fili Dei vivi, miserere nobis. ℣. Qui sedes ad dexteram Patris. ℟. Miserere nobis. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. ℟. Christe Fili Dei vivi, miserere nobis. ℣. Exurge Christe, adjuva nos. ℟. Et libera nos propter nomem tuum.

Oremus. *Oratio.*

Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute; ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Pretiosa in conspectu Domini. ℟. Mors sanctorum ejus.

Oratio.

SAncta Maria, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum: ut nos mereamur ab eo adjuvari, & salvari: Qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina. *Et dicitur ter: ultimò additur.* Gloria Patri. Sicut. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos á malo. ℣. Respice in servos tuos Domine, & in opera tua, & dirige filios eorum. ℟. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera mannum nostrarum dirige super nos, & opus mannum nostrarum dirige. ℣. Gloria Patri. ℟. Sicut erat.

Oremus. *Oratio.*

DIrigere & sanctificâre, regere & gubernâre dignare Domine Deus Rex cœli & terrę, hodie corda & corpora nostra, sensus, sermones, & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum: ut hic, & in æternum, te auxiliante, salvi & liberi esse mereamur, Salvator mundi: Qui vivis & regnas in sæcula sæculorun. ℟. Amen.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Dies & actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. ℟. Amen.

Capitulum.

FUlgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum & terram. ℣. Benedicite. ℟. Deus. *Benedictio.* Dominus nos benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat æternam: & Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

Hymnus.

NUnc sancte nobis Spiritus,
Unum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessionem personent,
Flammescat igne charitas,
Accendat ardor proximos.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Aña. Cum palma.

Psal-

Psalmus.

LEgem pone mihi Domine viam justificationum tuarum : * & exquiram eam semper.

Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam : * & custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semitam mandatorum tuorum : * quia ipsam volui.

Inclina cor meum in testimonia tua : * & non in avaritiam.

Averte oculos meos ne videant vanitatem : * in via tua vivifica me.

Statue servo tuo eloquium tuum, * in timore tuo.

Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum : * quia judicia tua jucunda.

Ecce concupivi mandata tua: * in æquitate tua vivifica me.

Et veniat super me misericordia tua Domine : * salutare tuum secundum eloquium tuum.

Et respondebo exprobrantibus mihi verbum : * quia speravi in sermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque : * quia in judiciis tuis supersperavi.

Et custodiam legem tuam semper : * in sæculum & in sæculum sæculi.

Et ambulabam in latitudine: * quia mandata tua exquisivi.

Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum : * & non confundebar.

Et meditabar in mandatis tuis, * quæ dilexi.

Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: * & exercebar in justificationibus tuis.

MEmor esto verbi tui servo tuo; * in quo mihi spem dedisti.

Hæc me consolata est in humilitate mea : * quia eloquium tuum vivificavit me.

Superbi iniquè agebant usquequaque: * à lege autem tua non declinavi.

Memor fui judiciorum tuorum á sæculo Domine; * & consolatus sum.

Defectio tenuit me : * pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, * in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui Domine: * & custodivi legem tuam.

Hæc facta est mihi : * quia justificationes tuas exquisivi.

Portio mea Domine, * dixi custodire legem tuam.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: * miserere mei secundum eloquium tuum.

Cogitavi vias meas : * & converti pedes meos in testimonia tua.

Pa-

Paratus sum, & non sum turbatus: * ut custodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi sunt me: * & legem tuam non sum oblitus.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi, * super judicia justificationis tuæ.

Particeps ego sum omnium timentium te: * & custodientium mandata tua.

Misericordia tua Domine plena est terra: * justificationes tuas doce me.

BOnitatem fecisti cum servo tuo Domine, * secundùm verbum tuum.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me: * quia mandatis tuis credidi.

Priusquam humiliarer ego deliqui: * propterea eloquium tuum custodivi.

Bonus es tu: * & in bonitate tua doce me justificationes tuas.

Multiplicata est super me iniquitas superborum: * ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

Coagulatum est sicut lac cor eorum: * ego veró legem tuam meditatus sum.

Bonum mihi quia humiliasti me: * ut discam justificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super millia auri, & argenti.

Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me: * da mihi intellectum, & discam mandata tua.

Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: * quia in verba tua supersperavi.

Cognovi Domine quia æquitas judicia tua: * & in veritate tua humiliasti me.

Fiat misericordia tua ut consoletur me, * secundum eloquium tuum servo tuo.

Veniant mihi miserationes tuę, & vivam: * quia lex tua meditatio mea est.

Confundantur superbi, quia injusté iniquitatem fecerunt in me: * ego autem exercebor in mandatis tuis.

Convertantur mihi timentes te: * & qui noverunt testimonia tua.

Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, * ut non confundar.

Aña. Cum palma ad regna pervenerunt sancti, coronas decôris meruerunt de manu Dei.

Capitulum.

JUstorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis: Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.

℞. *brev.* Lætamini in Domino, * Et exultate justi. Lætamini. ℣. Et gloriamini omnes recti corde. Et exultate. Gloria Patri. Lætamini. ℣. Exultent justi

ti in conspectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

Oratio.

DEus, qui nos annua sanctorum, *ut pag.* 19.

AD SEXTAM.

Hymnus.

REctor potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices,
Splendore mané illuminas,
Et ignibus meridiem:
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum,
Veramque pacem cordium.
Præsta, Pater Piissime,
Patrique compar único,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Aña. Corpora sanctorum.

Psalmus.

DEfecit in salutare tuum ánima mea: * & in verbum tuum supersperavi.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, * dicentes: Quando consolaveris me?

Quia factus sum sicut uter in pruina: * justificationes tuas non sum oblitus.

Quot sunt dies servi tui: * quando facies de persequentibus me judicium?

Narraverunt mihi iniqui fabulationes: * sed non ut lex tua.

Omnia mandata tua veritas: * iniqué persecuti sunt me, adjuva me.

Pauló minús consummaverunt me in terra, * ego autem non dereliqui mandata tua.

Secundúm misericordiam tuam vivifica me: * & custodiam testimonia oris tui.

In æternum Domine, * verbum tuum permanet in cœlo.

In generationem & generationem veritas tua: * fundasti terram, & permanet.

Ordinatione tua perseverat dies: * quoniam omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est: * tunc forté periissem in humilitate mea.

In æternum non obliviscar justificationes tuas: * quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: * quoniam justificationes tuas exquisivi.

Me expectaverunt peccatores ut perderent me: * testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem: * latum mandatum tuum nimis.

QUomodo dilexi legem tuam Domine: * tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti, mandato tuo: * quia in ęternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi: * quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi: *

quia mandata tua quæsivi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos: * ut custodiam verba tua.

A judiciis tuis non declinavi: * quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, * super mel ori meo!

A mandatis tuis intellexi: * propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, * & lumen semitis meis.

Juravi, & statui * custodire judicia justitiæ tuæ.

Humiliatus sum usquequaque Domine: * vivifica me secundùm verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, * & judicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper: * & legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi, * & de mandatis tuis non erravi.

Hereditate acquisivi testimonia tua in æternum: * quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, * propter retributionem.

INiquos odio habui: * & legem tuam dilexi.

Adjutor, & susceptor meus es tu: * & in verbum tuum supersperavi.

Declinate á me maligni: * & scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam: * & non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me, & salvus ero: * & meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes á judiciis tuis: * quia injusta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: * ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas: * á judiciis enim tuis timui.

Feci judicium & justitiam: * non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum: * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum: * & in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundúm misericordiam tuam; * & justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: * da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Tempus faciendi Domine: * dissipaverunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua, * super aurum & topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: * omnem viam iniquam odio habui.

Aña.

Aña. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt: & vivent nomina eorum in æternum.

Capitulum. *Sap.* 10. *c*

REddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte.

℟. *brev.* Exultent justi, * In conspectu Dei. Exultent justi. ℣. Et delectentur in lætitia. In conspectu. Gloria Patri. Exultent. ℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Oratio.

DEus, qui nos annua sanctorum, *ut pag.* 19.

AD NONAM.

Hymnus.

RErum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,
Lucis diurnæ tempora
Successibus determinans:

Largire lumen vespere,
Quo vita nusquam decidat,
Sed præmium mortis sacræ
Perennis instet gloria.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar ùnice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Aña. Martyrum chorus.

Psalmus.

MIrabilia testimonia tua: * ideó scrutata est ea ánima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat: * & intellectum dat parvulis.

Os meum aperui, & attraxi spiritum: * quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me, & miserere mei, * secundùm judicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundúm eloquium tuum: * & non dominetur mei omnis injustitia.

Redime me á calumniis hominum: * ut custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super servum tuum: * & doce me justificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: * quia non custodierunt legem tuam.

Justus es Domine: * & rectum judicium tuum.

Mandasti justitiam testimonia tua: * & veritatem tuam nimis.

Tabescere me fécit zelus meus: * quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer, * & servus tuus dilexit illud.

Adolescentulus sum ego, & contemptus: * justificationes tuas non sum oblitus.

Justitia tua, justitia in æternùm: * & lex tua veritas.

Tribulatio & angustia invenerunt me: * mandata tua meditatio mea est. Æqui-

quia mandata tua quæsivi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos: * ut custodiam verba tua.

A judiciis tuis non declinavi: * quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, * super mel ori meo!

A mandatis tuis intellexi: * propterea odivi omnem viam iniquitatis.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, * & lumen semitis meis.

Juravi, & statui * custodire judicia justitiæ tuæ.

Humiliatus sum usquequaque Domine: * vivifica me secundùm verbum tuum.

Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, * & judicia tua doce me.

Anima mea in manibus meis semper: * & legem tuam non sum oblitus.

Posuerunt peccatores laqueum mihi, * & de mandatis tuis non erravi.

Hereditate acquisivi testimonia tua in æternum: * quia exultatio cordis mei sunt.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, * propter retributionem.

INiquos odio habui: * & legem tuam dilexi.

Adjutor, & susceptor meus es tu: * & in verbum tuum supersperavi.

Declinate á me maligni: * & scrutabor mandata Dei mei.

Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam: * & non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me, & salvus ero: * & meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes á judiciis tuis: * quia injusta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: * ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas: * á judiciis enim tuis timui.

Feci judicium & justitiam: * non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum: * non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum: * & in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundúm misericordiam tuam; * & justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: * da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Tempus faciendi Domine: * dissipaverunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua, * super aurum & topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: * omnem viam iniquam odio habui.

Aña.

Aña. Corpora sanctorum in pace sepulta sunt: & vivent nomina eorum in æternum.

Capitulum. *Sap.* 10. *e*

REddidit Deus mercedem laborum sanctorum suorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte.

℟. *brev.* Exultent justi, * In conspectu Dei. Exultent justi. ℣. Et delectentur in lætitia. In conspectu. Gloria Patri. Exultent. ℣. Justi autem in perpetuum vivent. ℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Oratio.

DEus, qui nos annua sanctorum, *ut pag.* 19.

AD NONAM.

Hymnus.

RErum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,
Lucis diurnæ tempora
Successibus determinans:

Largire lumen vespere,
Quo vita nusquam decidat,
Sed præmium mortis sacræ
Perennis instet gloria.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar ùnice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

Aña. Martyrum chorus.

Psalmus.

MIrabilia testimonia tua: * ideó scrutata est ea ánima mea.

Declaratio sermonum tuorum illuminat: * & intellectum dat parvulis.

Os meum aperui, & attraxi spiritum: * quia mandata tua desiderabam.

Aspice in me, & miserere mei, * secundùm judicium diligentium nomen tuum.

Gressus meos dirige secundúm eloquium tuum: * & non dominetur mei omnis injustitia.

Redime me á calumniis hominum: * ut custodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina super servum tuum: * & doce me justificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: * quia non custodierunt legem tuam.

Justus es Domine: * & rectum judicium tuum.

Mandasti justitiam testimonia tua: * & veritatem tuam nimis.

Tabescere me fécit zelus meus: * quia obliti sunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer, * & servus tuus dilexit illud.

Adolescentulus sum ego, & contemptus: * justificationes tuas non sum oblitus.

Justitia tua, justitia in æternum: * & lex tua veritas.

Tribulatio & angustia invenerunt me: * mandata tua meditatio mea est. Æqui-

Æquitas testimonia tua in ęternum: * intellectum da mihi, & vivam.

CLamavi in toto corde meo, exaudi me Domine: * justificationes tuas requiram.

Clamavi ad te, salvum me fac: * ut custodiam mandata tua.

Preveni in maturitate, & clamavi: * quia in verba tua supersperavi.

Prævenerunt oculi mei ad te dilúculo; * ut meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi secundúm misericordiam tuam Domine: * & secundúm judicium tuum vivifica me.

Appropinquaverunt persequentes me iniquitati: * á lege autem tua longe facti sunt.

Propé es tu Domine: * & omnes viæ tuæ veritas.

Initio cognovi de testimoniis tuis: * quia in æternum fundasti ea.

Vide humilitatem meam, & eripe me: * quia legem tuam non sum oblitus.

Judica judicium meum, & redime me: * propter eloquium tuum vivifica me.

Longe á peccatoribus salus: * quia justificationes tuas non exquisierunt.

Misericordiæ tuæ multæ Domine: * secundúm judicium tuum vivifica me.

Multi qui persequuntur me, & tribulant me: * á testimoniis tuis non declinavi.

Vidi prævaricantes, & tabescebam: * quia elóquia tua non custodierunt.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: * in misericordia tua vivifica me.

Principium verborum tuorum veritas; * in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

PRincipes persecuti sunt me gratis: * & á verbis tuis formidavit cor meum.

Lętabor ego super eloquia tua: * sicut qui invenit spolia multa.

Iniquitatem odio habui, & abominatus sum; * legem autem tuam dilexi.

Septies in die laudem dixi tibi, * super judicia justitiæ tuæ.

Pax multa diligentibus legem tuam: * & non est illis scandalum.

Expectabam salutare tuum Domine: * & mandata tua dilexi.

Custodivit anima mea testimonia tua: * & dilexit ea vehementer.

Servavi mandata tua, & testimonia tua: * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine: * juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

In-

Intret postulatio mea in conspectu tuo: * secundùm eloquium tuum eripe me.

Eructabunt labia mea hymnum, * cum docueris me justificationes tuas.

Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: * quia omnia mandata tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me: * quoniam mandata tua elegi.

Concupivi salutare tuum Domine: * & lex tua meditatio mea est.

Vivet anima mea, & laudabit te: * & judicia tua adjuvabunt me.

Erravi, sicut ovis quæ periit: * quęre servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

Aña. Martyrum chorus laudate Dominum de cælis, alleluia.

Capitulum. *Sap.* 3.

FUlgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.

℟. *brev.* Justi autem, * In perpetuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dominum est merces eorum. In perpetuum. Gloria Patri. Justi. ℣. Exultabunt sancti in gloria. ℟. Lętabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

DEus, qui nos annua sanctorum, *ut pag.* 19.

AD VESPERAS.

Antiphona.

ISti sunt sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine Agni laverunt stolas suas. *Psalm.* Dixit Dominus. pag. 1. *Aña.* Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. *Psalm.* Confitebor. pag. 1. *Aña.* Sanctorum velut aquilæ juventus renovabitur: florebunt sicut lilium in civitate Domini. *Psalm.* Beatus vir. pag. 2. *Aña.* Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum: & jam non erit ampliús neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor; quoniam priora transierunt. *Psalm.* Laudate pueri, pag. 2. *Aña.* In cœlestibus regnis sanctorum habitatio est, & in ęternum requies eorum.

Psalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: * & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: *ego servus tuus, & filius ancillę tuę.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Aña. In cœlestibus regnis sanctorum habitatio est, & in æternum requies eorum.

Capitulum, & Hymnus ut in primis Vesperis.

℣. Exultabunt sancti in gloria.
℟. Letabuntur in cubilibus suis.

Ad Magnificat, Antifona.

Gaudent in cœlis animę sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: & quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideó cum Christo exultant sine fine.

FESTA FEBRUARII.

DIE XIX. FEBRUARII.
Festum B. Alvari Cordubensis Conf. Dup.

Ad Vesperas. Aña.

Domine quinque talenta, *cum reliquis de Laud. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliq.* pag. 1.

Capitulum. *Eccli.* 31.

BEatus vir, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

Hymnus.

ISte Confesor Domini, colentes
Quem pié laudant populi per orbem.
Hac die lætus meruit beatas
Scandere sedes.

Si non est dies obitus, dicatur:

Hac die lætus meruit supremos
Laudis honores.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animavit auræ
Spiritus artus.

Cujus ob prestans meritum frequenter,
Ægra, quæ passim jacuére membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.

Noster hinc illi Chorus obsequentem.
Concinit laudem, celebresque palmas;
Ut piis ejus precibus juvemur
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super cœli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat
Trinus, & unus Amen.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat. Antiphona.

Similabo eum viro sapienti, qui

qui ædificavit domum suam supra petram.

MAgníficat * anima mea Dominum, *pag.* 3.

Oratio.

DEus, qui Beatum Alvarum Confessorem tuum charitatis, & pœnitentiæ donis insignitér decorasti, da ut ejus intercessione, & exemplo semper Christi mortificationem in corpore, & tui amorem in corde geramus. Per eundem, &c.

Ad Matutinum Invitat.

Regem Confessorum Dominum, * Venite adoremus.

Psalm.

VEnite, exultemus Domino, *pag.* 4.

Hymnus.

ISte Confessor Domini colentes, *pag.* 30.

In primo Nocturno, Aña.

Beatus vir, qui in lege Domini meditatur: voluntas ejus permanet die ac nocte, & omnia quęcumque faciet, semper prosperabuntur.

Psalmus 1.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, * & in cathedra pestilentiæ non sedit.

Sed in lege Domini voluntas ejus, * & in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo:

Et folium ejus non defluet: * & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic; * sed tamquam pulvis, quem projicit ventus á facie terræ.

Ideó non resurgent impii in judicio: * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum: * & iter impiorum peribit.

Aña. Beatus vir, qui in lege Domini meditatur: voluntas ejus permanet die ac nocte, & omnia quęcumque faciet, semper prosperabuntur.

Aña. Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit pręceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus.

Psalmus 2.

QUare fremuerunt Gentes, * & populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum * adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * & projiciamus á nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: * & Dominus subsanabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * & in furore suo conturbabit eos.

Ego

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * predicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula á me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, * & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * & tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * & exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, *& pereatis de via justa.

Cúm exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Aña. Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte santo ejus.

Aña. Tu es gloria mea, tu es susceptor meus Domine: tu exaltans caput meum, & exaudisti me de monte sancto tuo.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi; * & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum: * & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * & super populum tuum benedictio tua.

Aña. Tu es gloria mea, tu es susceptor meus Domine, tu exaltans caput meum, & exaudisti me de monte santo tuo. ℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum. ℞. Stolam gloriæ induit eum. Pater noster. *Absolutio.* Exaudi Domine. ℣. Jube domne benedicere. *Benedictio.* Benedictione perpetua.

Lect. j. *Noct.* De Scriptura occurrente: *In Quadragesima.*

De libro sapientiæ.

Lectio j. *Cap.* 4. *b* & 5.

JUstus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Placens Deo fac-

factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

℟. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: * Intra in gaudium Domini tui. ℣. Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. Intra in gaudium. *Benedictio.* Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

POpuli autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia: quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos ejus, & respectus in electos illius. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, & juventus celerius consummata, longam vitam injusti. Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus. Videbunt & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit. Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos á fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur.

℟. Justus germinabit sicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit. *Benedictio.* Spiritus sancti gratia.

Lectio. iij.

ET erunt gementes, & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum. Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

℟. Iste cognovit justitiam,

& vidit mirabilia magna, & exoravit Altissimum: * & inventus est in numero sanctorum. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Et inventus. Gloria Patri. Et inventus.

In secundo Nocturno. Aña.

Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum, Dominus exaudivit eum, & constituit eum in pace.

Psalmus 4.

CUm invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * & exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequó gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: * Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad eum.

Irascimini, & nolite peccare, * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino. * Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, & requiescam;

Quoniam tu Domine singulariter in spe * constituisti me.

Aña. Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum, Dominus exaudivit eum, & constituit eum in pace.

Aña. Lætentur omnes, qui sperant in te Domine: quoniam tu benedixisti justo, scuto bonæ voluntatis tuę coronasti eum.

Psalmus 5.

VErba mea auribus percipe Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine, mané exaudies vocem meam.

Manè astabo tibi, & videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit justa te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiæ tuę.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Do-

Domine deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, * judica illos Deus.

Decidant à cogitationibus suis, secundúm multitudinem impietatum eorum expelle eos, * quoniam irritaverunt te Domine.

Et Lætentur omnes, qui sperant in te, * in æternum exultabunt: & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, * quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Aña. Lætentur omnes, qui sperant in te Domine: quoniam tu benedixisti justo, scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum.

Aña. Domine Dominus noster, quám admirabile est nomen tuum in universa terra! quia gloria & honore coronasti sanctum tuum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Psalmus 8.

DOmine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam & stellas, quę tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum.

Minuisti eum pauló minús ab Angelis, gloria & honore coronasti eum: * & constituisti eum, super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves & boves universas, insuper & pecora campi;

Volucres cœli, & pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Aña. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! quia gloria & honore coronasti sanctum tuum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium. Pater noster. *Absolutio.* Ipsius pietas. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Deus Pater omnipotens.

Lec-

Lectio jv.

ALvarus Cordubensis avitæ generis claritati eximiæ sanctitatis decus adjunxit: Nam á prima adolescentia posthabitis terrenis omnibus, Prædicatorum Ordini nomen dedit, in quo spiritu, & litteris mirificè profecit. Absoluto studiorum cursu prędicationi se totum impendit, ac plures Hispaniæ necnon Italiæ partes uberrimo animarum fructu evangelizando peragravit. Joanni Secundo Castellæ Regi, ejusque Matri Catharinæ á confessionibus fuit, sed religiosæ solitudinis studio dimissione petita ab aula secessit, ac regia ope novum Ordinis Cœnobium sub appellatione S. Dominici Scalæ Cœli propé Cordubam á fundamentis excitavit; ubi cum aliis sui Ordinis Fratribus severiorem colens disciplinam, vitam sanctissimam duxit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Lectio v.

COrpori suo, velut hosti nondum subacto, bellum perpetuum omni asperitatum, afflictationumque genere intulit. Noctes ante divini Sacramenti Altare feré ducebat insomnes, non aliam quandoque fesso corpori quietem indulgens quam brevem admodum lapidi innixus vel Altari. Pauperum, ac miserorum omnium ęrumnis vehementér compatiens, quamcumque posset, opem amantissimé ferebat. Obvium sibi aliquando pauperem toto corpore ulcerosum, propria involutum cappa, humerisque super impositum ad Cœnobium detulit, curam ejus acturus: dum veró coram Fratribus eum deponeret, mutata repente forma, Crucifixi simulacrum apparuisse pié creditur, quod summa admiratione, ac reverentia exceptum in Ecclesiæ Sacello, ubi ad hanc diem constanti traditione servatur, & colitur repositum est.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

Lectio vj.

SIngulari, ac præcipuo erga Christi Passionem agebatur affectu: Quamobrem loca sancta Palestinę ejus mysteriis conspicua summa devotione lustravit, utque eorum monumenta aliqua in structo á se Cœnobio

per-

perpetuo extarent, varia in eo Oratoria disposuit, in quibus redemptionis nostræ mysteria certis distincta stationibus exhiberentur; quam subindé piam institutionem alia Cœnobia adoptasse perhibentur. Vitam deniqué sanctissimè actam beato fine complevit circa annum Christi millesimum quadringentesimum trigesimum. Miraculorum fama ante, & post mortem conspicuus. Ejus Corpus editum, illustremque in locum Episcopi Cordubensis decreto illatum, ad hæc usque tempora cultum non intermissum obtinuit, quem Benedictus Quartus decimus Apostolica auctoritate probavit, atque illius Festum cum Officio, & Missa in universo Prædicatorum Ordine, & Civitate Cordubensi celebrari concessit.

℟. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno. Aña.

Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine mácula,* & operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum, * & opprobrium non accepit adversus proximos suos:

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, * timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, & non decipit: * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit:

Qui facit hæc, * non movebitur in æternum.

Aña. Domine, iste sanctus habitabit in tabernáculo tuo, operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo.

Aña. Vitam petiit á te, & tribuisti ei, Domine: gloriam & magnum decôrem imposuisti super eum: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Psalmus 20.

Domine in virtute tua lætabitur rex: * & super salutare tuum exultabit vehementer.

De-

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: * & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: * posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit á te: * & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo: * gloriam & magnum decôrem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: * lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino: * & in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: * dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: * Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes: * & semen eorum á filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala: * cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: * in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare Domine in virtute tua: * cantabimus & psallemus virtutes tuas.

Aña. Vitam petiit à te, & tribuisti ei, Domine: gloriam & magnum decôrem imposuisti super eum: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Aña. Hic accipiet benedictionem á Domino, & misericordiam á Deo salutari suo: quia hæc est generatio quærentium Dominum.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitudo ejus: * orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.

Quia ipse super mária fundavit eum: * & super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini: * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde. * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem á Domino: * & misericordiam á Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portę æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? *

Do-

Dominus fortis & potens ? Dominus potens in prēlio.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales : * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Aña. Hic accipiet benedictionem á Domino, & misericordiam á Deo salutari suo: quia hęc est generatio quærentium Dominum. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus. Pater noster. *Absolutio.* A vinculis. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundúm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12. *c*

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 13. *in Evangelia.*

SAncti Evangelii, fratres charissimi, aperta vobis est lectio recitata. Sed ne aliquibus ipsa ejus planities alta fortase videatur, eam sub brevitate transcurrimus; quatenus ejus expositio ita nescientibus fiat cognita, ut tamen scientibus non sit onerosa. Dominus dicit : Sint lumbi vestri præcincti. Lumbos enim præcingimus, cúm carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus est, mala non agere ; nisi etiam quisque studeat & bonis operibus insudare, protinus additur : & lucernę ardentes in manibus vestris. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cúm per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus. De quibus profecto operibus Dominus dicit : Luceat lux vestra coram homnibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est:

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est. & de omni corde suo laudavit Dominum : * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse intercedat. *Benedictio.* Cujus festum colimus.

Lectio viij.

DUO autem sunt, quæ jubentur, & lumbos restringere, & lucernas tenere : ut & munditia sit castitatis in corpore, & lumem veritatis in operatione. Redemptori etenim nostro unum sine altero placere nequaquam potest : si aut is qui bona agit, adhuc luxurię inquinamenta non deserit : aut is qui castitate præemi-

eminet, necdum se per bona opera exercet. Nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec opus bonum est aliquod sine castitate. Sed & si utrumque agitur, restat, ut quisquis ille est, spe ad supernam patriam tendat, & nequaquam se á vitiis pro mundi hujus honestate contineat.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur á nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos. *Benedictio.* Ad societatem.

Lectio ix.

ET vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur á nuptiis: ut cúm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei. Venit quippé Dominus, cúm ad judicium properat: pulsat vero, cúm jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat. Cui confestim apperimus, si hunc cum amore suscipimus. Aperire enim judici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat: & videre eum, quem contempsisse se meminit, judicem formidat. Qui autem de sua spe, & operatione securus est, pulsanti confestim aperit, quia lætus judicem sustinet; & cúm tempus propinquę mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit.

Te Deum laudamus. *pag.* 14.

AD LAUDES,
& per Horas, Aña.

DOmine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. *Psalmus.* Dominus regnavit, *cum reliq.* 15. *Aña.* Euge serve bone, in modico fidelis, intra in gaudium Domini tui. *Aña.* Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. *Aña.* Beatus ille servus, quem cúm venerit dominus ejus, & pulsaverit januam, invenerit vigilantem. *Aña.* Serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Capitulum. *Eccli.* 31.

BEatus vir, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudavimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

Hymnus.

JEsu corona celsior,
Et veritas sublimior,
Qui confitenti servulo
Reddis perenne pręmium:
Da supplicanti cętui,
Hujus rogatu, noxii
Remissionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi.

An-

Anni reverso tempore,
Dies refulsit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Migravit inter sidera.
Hic vana terræ gaudia,
Et luculenta prædia,
Polluta sorde deputans,
Ovans tenet cœlestia.
Te Christe Rex piissime,
Hic confitendo jugiter,
Calcavit artes dæmonum,
Sævumque averni principem.
Virtute clarus, & fide,
Confessione sedulus,
Jejuna membra deferens,
Dapes supernas obtinet.
Proinde te piissime
Precamur omnes supplices,
Nobis ut hujus gratia
Pœnas remittas debitas.
Patri perennis gloria,
Natoque Patris único,
Sanctoque sit Paraclito
Per omne semper sæculum.
Amen.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, *Aña.*

Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Oratio.

DEus, qui Beatum Alvarum Confessorem tuum charitatis, & pœnitentiæ donis insigniter decorasti, da ut ejus intercessione, & exemplo semper Christi mortificationem in corpore, & tui amorem in corde geramus. Per eundem, &c.

Ad Tertiam. pag. 22.

Aña. Euge serve bone. *Capitulum.* Beatus vir, qui inventus est sine màcula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thasauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

℟. *brev.* Amavit eum Dominus, * Et ornavit eum. Amavit. ℣. Stolam gloriæ induit eum. Et ornavit. Gloria Patri. Amavit eum. ℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Ad Sextam. pag. 25.

Aña. Fidelis servus.

Capitulum. *Eccli.* 39.

JUstus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

℟. *brev.* Os justi, * Meditabitur sapientiam. Os justi. ℣. Et lingua ejus loquetur judicium. Meditabitur. Gloria Patri. Os justi. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsius. ℟. Et non supplantabuntur gressus ejus.

Ad Nonam. pag. 27

Aña. Serve bone.

Capitulum. *Sap.* 10. *b*

JUstum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi reg-

regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.

℞. *brev.* Lex Dei ejus, * In corde ipsius. Lex. ℣. Et non supplantabuntur gressus ejus. In corde. Gloria Patri. Lex Dei. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℞. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Vesperas, Antiphona.

Domine, quinque talenta, *cum reliquis de Laudibus.* pag. 40. *Psalmi, Capitulum, & Hymnus, ut in primis Vesperis.* pag. 30.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℞. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Magnificat, Aña.

Hic vir despiciens mundum & terrena, triumphans, Divitias cœlo condidit ore, manu.

FESTA MARTII.

DIE X.

Festum Sancti Angeli Custodis Diœcesis, & Regni Cordubensis dup. maj.

AD VESPERAS.

Antiphona.

Induit Dominus, *cum reliquis de Laudibus. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliq. ut in fest. SS. Gumesindi, & Servi Dei.* pag. 1.

Capitulum. 4. *Reg.* 19.

HÆC dicit Dominus de Rege Assiriorum, non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. ℞. Deo gratias.

Hymnus.

ORbis patrator optime,
Qui, quidquid est, potentia
Magna creasti, nec regis
Minore providentia.

Adesto supplicantium
Tibi reorum cœtui,
Lucisque sub crepusculum
Lucem novam da mentibus.

Tuusque nobis Angelus
Signatus ad custodiam
Hic adsit, á contagio
Qui criminum nos protegat.

Serpentis nobis æmuli
Calumnias exterminet;
Ne rete fraudulentiæ
Incauté nectat pectora.

Metum propellat hostium
Nostris procul de finibus;
Pacem procuret civium,
Fugetque pestilentiam.

Deo Patri sit gloria,
Qui, quos redemit Filius,
Et Sanctus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiat.
Amen.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℞. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In Quadragesima á prim. Sabb.

℣.

℣. In conspectu Angelorum psalam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Magnificat Antiphona.

Super muros Jerusalem posui custodes, qui die, ac nocte non cessabunt magnificare nomen Domini: quia fecit magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, ex cujus ineffabili providentia per Angelorum ministerium vita hominum dispensatur, & regitur: concede, quæsumus, ut nostri Custodis præces, & patrocinia ab omnibus nos tueantur adversis. Per Dominum.

Ad Matutinum Invitat.

REgem Custodis Angeli. * Venite adoremus. *Psalm.* Venite exultemus. *pag.* 4.

Hymnus.

TIbi Christe splendor Patris,
Vita, virtus cordium
In conspectu Angelorum
Votis, voce psallimus,
Alternantes concrepando,
Melos damus vocibus.

Collaudamus venerantes,
Omnes cœli milites;
Sed præcipué Custodem,
Urbis, regni, populi;
Qui concessus abs te nobis
Nos custodit perpetim.

Quo custode procul pelle
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici
Mundo corde, & corpore:
Paradyso redde tuo
Nos sola clementia.

Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus,
Gloriam Christo canamus,
Gloriam Paraclito,
Qui Deus Trinus, & Unus
Extat ante sæcula. Amen.

In primo Noct. Aña.

Dirige Domine per Angelum tuum viam nostram: & scuto fortitudinis tuæ protege servos tuos.

Psalmus 5.

VErba mea auribus percipe Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine, mané exaudies vocem meam.

Manè astabo tibi, & videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit justa te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiæ tuę.

Introibo in domum tuam: * ado-

adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosé agebant, * judica illos Deus.

Decidant á cogitationibus suis, secundúm multitudinem impietatum eorum expelle eos, * quoniam irritaverunt te Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: * in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, * quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Aña. Dirige Domine per Angelum tuum viam nostram, & scuto fortitudinis tuæ protege servos tuos.

Aña. Minuisti hominem Domine, pauló minús ab Angelis, sed & eorum custodia visitasti eum, & in periculis multis memor ejus fuisti.

Psalmus. 8.

DOmine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam & stellas, quę tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum pauló minús ab Angelis, gloria & honore coronasti eum: * & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves & boves universas, insuper & pecora campi.

Volucres cœli, & pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Aña. Minuisti hominem Domine, pauló minús ab Angelis, sed & eorum custodia visitasti eum, & in periculis multis memor ejus fuisti.

Aña. Tu Domine servabis, & custodies nos per Angelum tuum ab omni prava generatione, quia in circuitu nostro impii ambulant inimici.

Psalmus 11.

SAlvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, * quoniam diminutæ sunt veritates á filiis hominum.

Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: * labia dolosa

losa in corde, & corde locuti sunt.

Disperdat Dominus universa labia dolosa: * & linguam magniloquam.

Qui dixerunt: linguam nostram magnificabimus, labia nostra á nobis sunt: * quis noster Dominus est?

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, * nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari: * fiducialiter agam in eo.

Eloquia Domini, eloquia casta: * argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Tu Domine servabis nos: & custodies nos * á generatione hac in æternum.

In circuitu impii ambulant: * secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

Aña. Tu Domine servabis, & custodies nos per Angelum tuum ab omni prava generatione, quia in circuitu nostro impii ambulant inimici. ℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ex Daniele Proph. cap. 10.

Lectio j.

ET ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum. Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens, & ait ad me: Noli metuere Daniel; quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus; & ecce Michael unus é principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta Regem Persarum. Veni autem, ut docerem te, quę ventura sunt populo tuo in novissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies. Cumque loqueretur mihi hujuscemodi verbis, dejeci vultum meum ad terram, & tacui.

℟. Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam Angelis suis Deus mandavit de te. * Ut custodiant te in omnibus viis tuis. ℣. In manibus portabunt te, ne forté offendas ad lapidem pedem tuum. Ut custodiant te.

De lib. 4. Reg. cap. 19.

Lectio ij.

HÆC dicit Dominus de Rege Assyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupa-

pabit eam clypeus, nec circundabit eam munitio. Per viam, quâ venit, revertetur: & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus: Protegamque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum. Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculó surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit, & reversus est Senacherib Rex Assyriorum, & mansit in Ninive.

℟. Pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum. * Et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum. ℣. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et de omnibus tribulationibus.

Ex Epist. Beati Pauli ad Hebræos *Cap.* 1.

Lectio iij.

CUI enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursus: Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium: & cúm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi; virga æquitatis, virga regni tui; dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando? Sede á dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nonné omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis?

℟. Super muros tuos Jurusalem posui custodes, qui tota die, ac nocte non cessabunt laudare nomen Domini. ℣. Prædicabunt populis fortitudinem meam, & annuntiabunt gentibus gloriam meam. ℣. Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis. Prædicabunt. Gloria. Prædicabunt.

In secundo Nocturno.

Aña. Custodi nos Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos.

Psalmus 16.

EXaudi Domine justitiam meam, * intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, * non in labiis dolosis.

De vultu tuo judicium meum prodeat: * oculi tui videant æquitates.

Pro-

Probasti cor meum, & visitasti nocte: * igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: * propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis, * ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: * inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexterę tuæ custodi me, * ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me, * à facie impiorum, qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt: * os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumdederunt me: * oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: * & sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge Domine, præveni eum, & supplanta eum: * eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine á paucis de terra divide eos in vita eorum, * de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis: * & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo; * satiabor, cùm apparuerit gloria tua.

Aña. Custodi nos Domine ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos.

Aña. Mitte nobis Domine auxilium de sancto, & de Sion tuere civitatem nostram.

Psalmus 19.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: * & de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: * & holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: * & omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: * & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas, * nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo: * in potentatibus salus dexterę ejus.

Hi in curribus, & hi in equis, * nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ip-

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: * nos autem surreximus, & erecti sumus.

Domine salvum fac regem, * & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Aña. Mitte nobis Domine auxilium de sancto, & de Sion tuere civitatem nostram.

Aña. Qui tribulant nos inimici nostri, infirmati sunt, & ceciderunt; quia Dominus protegit nos per Angelum suum in abscondito tabernaculi sui.

Psalmus 26.

DOminus illuminatio mea, & salus mea, * quem timebo?

Dominus protector vitę meæ, * á quo trepidabo?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, * non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prę-lium, * in hoc ego sperabo.

Unam petii á Domino hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluntatem Domini, * & visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: * & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabo, & psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te, * miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam á me: * ne declines in ira á servo tuo.

Adjutor meus esto: * ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, & mater mea derelinquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: * & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: * quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini, * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: * & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Aña. Qui tribulant nos inimici nostri, infirmati sunt, & ceciderunt; quia Dominus protegit nos per Angelum suum in abscondito tabernaculi sui.

℣.

℣. Custodi nos Domine ut pupillam oculi. ℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

De explicatione S. Bernardi Abbatis.

In Psalm. Qui habitat. Ex Serm. 22.

Lectio iv.

NEquid in cœlestibus vacet ab opere solicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos, Domini, mittis in ministerium custodiæ nostræ; deputas nostros fieri pædagogos. Parum est enim, quód facis Angelos tuos spiritus; facis & Angelos parvulorum: denique Angeli eorum semper vident faciem patris. Illos utique tam fœlices, & tuos ad nos, & nostros ad te Angelos facis. Angelis suis mandavit de te. Mira dignatio, & veré magna dilectio charitatis. Quis enim? De quo? Quid mandavit? Studiosé consideremus, fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tan grande mandatum.

℟. Misit Dominus misericordiam suam, & fortitudinem suam: animam meam liberavit de medio catulorum leonum. * Et non nocuerunt animę meæ. ℣. Misit Angelum suum, & conclusit ora leonum. Et non.

Lectio v.

SUper muros tuos Jerusalem constitui custodes, nempé etiam ipsi, qui videntur muri, aut in muro ipso columnæ, his custodibus egent, & maximé. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præsentia; devotionem pro benevolentia; fiduciam pro custodia. Cauté ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo pręsente, quo vidente me, non auderes.

℟. Justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum. * Ideó accipient regnum decôris, & diadema speciei de manu Domini. ℣. Quoniam dextera sua teget eos, & in brachio suo sancto defendet illos. Ideó accipient.

Lectio vi.

ADsunt igitur, & adsunt tibi: non modó tecum, sed etiam pro te; adsunt, ut protegant: adsunt, ut prosint. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Siquidem soli ei honor, & gloria. Quare ei soli? Quia ipse mandavit, & omne datum optimum non nisi ab illo est. Verumtamen, & si ille mandavit, ipsis quoque, qui & ei

ei ex tanta charitate obediunt, & nobis subveniunt in tanta necessitate, ingratos esse non licet. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus; redamemus eos, honoremus eos, quantum possumus, quantum debemus.

℟. Expugna Domine impugnantes nos, & libera nos de inimicis nostris. * Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. ℣. Muro tuo inexpugnabili circuncinge nos, & armis tuæ potentiæ protege nos. Fiant. Gloria Patri. Fiant viæ.

In tertio Nocturno.

Aña. Immisit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & de multis tribulationibus eripuit eos.

Psalmus 33.

BEnedicam Dominum in omni tempore: * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, & lætentur.

Magnificate Dominum mecum: * & exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, & exaudivit me: * & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, & illuminamini: * & facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum: * & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: * & eripiet eos.

Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus, * beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti ejus: * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, & esurierunt: * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me: * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam: * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam á malo: * & labia tua ne loquantur dolum.

Diverte à malo, & fac bonum: * inquire pacem, & persequere eam.

Oculi Domini super justos: * & aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos: * & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxtá est Dominus iis, qui tri-

tribulato sunt corde: * & humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum: * & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * & qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: * & non delinquent omnes, qui sperant in eo.

Aña. Immisit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & de multis tribulationibus eripuit eos.

Aña. Adorate Dominum omnes Angeli ejus, quoniam Dominus custodivit animas servorum suorum, & de manu peccatoris liberavit eos.

Psalmus. 96.

DOminus regnavit exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in circuitu ejus: * justitia, & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet, * & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt á facie Domini: * á facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * & qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, & lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, * propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes Deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lętitia.

Lætamini justi in Domino: * & confitemini memoriæ santificationis ejus.

Aña. Adorate Dominum omnes Angeli ejus, quoniam Dominus custodivit animas servorum suorum, & de manu peccatoris liberavit eos.

Aña. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, & notas facite vias ejus: & liberate ab interitu vitam nostram.

Psalmus 102.

BEnedic anima mea Domino: * & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino: *

* & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: * qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: * qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: * renovabitur, ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus: * & judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, * filiis Israël voluntates suas.

Miserator, & misericors Dominus: * longanimis; & multùm misericors.

Non in perpetuum irascetur: * neque in æternum comminabitur.

Non secundúm peccata nostra fecit nobis: * neque secundúm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundúm altitudinem cœli à terra: * corroboravit misericordiam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente: * longé fecit á nobis iniquitates nostras.

Quomodó miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: * quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est, quoniam pulvis sumus: * homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: * & non cognoscet ampliùs locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno, * & usque in æternum super timentes eum.

Et justicia illius in filios filiorum * his, qui servant testamentum ejus.

Et memores sunt mandatorum ipsius, * ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit sedem suam: * & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus: * potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus: * ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus: * in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Aña. Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, & notas facite vias ejus: & liberate ab interitu vitam nostram.

℣. Emitte Domine Angelum tuum de cœlis. ℟. Qui custodiat nos in omnibus viis nostris.

***** ***** *****

Lec-

Lectio Sancti Evangelii secundúm Matthæum.

Lectio vij.

IN illo tempore : Accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas major est in regno cœlorum? Et reliq.

Homilia Sancti Basilii Episcopi. *Lib.* 3. *contra Eunomium de Spiritu sancto circá initium.*

ANgeli omnes, ut appellationes unius, sic ejusdem etiam sunt naturæ inter se: attamen alii ipsorum gentibus præpositi sunt: alii vero fidelium singulos consequuntur. Quantó autem gens uni viro præponenda est, tantó majorem necesse est Angeli, qui gentis principatum habeat, esse dignitatem dignitate eorum, quibus singulorum tutela commissa est. Quód veró singulis fidelium adsit Angelus, ut pędagogus quidam, & pastor ad vitam dirigendam, nemo contradicet, qui verborum Domini recordatur dicentis: Ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quoniam Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.

℟. Domine Deus omnipotens, ædificator, & custos Jerusalem supernæ civitatis, mitte Angelum tuum ad nos. * Ut custodiat regnum, & locum istum cum omnibus habitatoribus suis. ℣. Converte Domine faciem tuam super populum tuum, & visitá nos per Angelum tuum. * Ut custodiat.

Lectio viij.

ET Psalmista dicit: Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipsum. Et Angelus, qui erudit me á juventute mea: & quæcumque talia. Quod veró rursus sint quidam Angeli universarum gentium præpositi, Moyses nos per canticum docuit: quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxtá numerum Angelorum suorum. Et sapiens Daniël in visione Angeli audivit ipsum dicentem: Quoniam Princeps regni Persarum restitit mihi: Et ecce Michaël unus de principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxtà Regem Persarum.

℟. Regnum, & civitatem istam circunda Domine: & Angeli tui custodiant muros ejus. * Et exaudi populum tuum cum misericordia. ℣. Avertatur Domine furor tuus ab hoc regno, & indignatio ab hac civitate tua: Et exaudi. Gloria. Et exaudi.

Lectio jx. *erit Homil. fer. occur. alio autem temp. extra Quadr. ut sequitur.*

ET post pauca idem dicit: Et Princeps Græcorum veniebat.

bat. Quin etiam princeps exercitus, imperator copiarum Domini dicitur, qui Jesu Nave ad Jordanem manifestatus est, & rursus Legiones quædam Angelorum dicuntur, Domino discipulis dicente: An putas, quia non possum rogare patrem, & exhibebit mihi plusquam duodecim Legiones Angelorum? Princeps ergo exercitus Angelorum, qui ex Legionibus ordinati sunt, palám fit, quód aliorum princeps est.

Te Deum. *pag.* 14.

AD LAUDES,
& per Horas, Aña.

INduit Dominus Angelum Principem nostrum fortitudine, & præcinxit eum virtute, ut firmaret civitatem nostram, ne commoveatur ab inimicis nostris.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq.* *pag.* 15.

Aña. Jubilate Deo omnes cives ejus, & scitote, quoniam Dominus, qui fecit nos, ipse custodiet, & liberabit nos.

Aña. Ad te Domine de luce vigilat Angelus princeps, & custos noster super civitatem istam: ideó inimici nostri in vanum quæsierunt expugnare eam.

Aña. Benedicant Dominum omnes Angeli ejus, & omnes potestates adversas repellant á nobis.

Aña. Laudate Dominum omnes Angeli ejus, & alligate inimicos nostros in compedibus, & omnes impugnantes nos in manicis ferreis.

Capitulum. 4. *Reg.* 19.

HÆC dicit Dominus de Rege Assyriorum, non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

ORbis patrator optime,
Qui, quidquid est, potentia
Magna creasti, nec regis
Minore providentia.

Adesto supplicantium
Tibi reorum cœtui.
Lucisque sub crepusculum
Lucem novam da mentibus.

Tuusque nobis Angelus
Signatus ad custodiam
Hic adsit, á contagio
Qui criminum nos protegat.

Serpentis nobis æmuli
Calumnias exterminet;
Ne rete fraudulentiæ
Incauté nectat pectora.

Metum propellat hostium
Nostris procul de finibus;
Pacem procuret civium,
Fugetque pestilentiam.

Deo Patri sit gloria.
Qui, quos redemit Filius,
Et sanctus unxit Spiritus,
Per Angelos custodiat. Amen.

℣.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In Quadrages. ℣. In conspectu Angelorum, *ut in primis Vesperis.*

Ad Benedictus Aña.

Benedictus Dominus, qui per cornu Angeli salutis visitavit plebem, & civitatem nostram: & liberavit eam de manu omnium, qui oderunt nos, & direxit pedes nostros in viam pacis.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, ex cujus ineffabili providentia per Angelorum ministerium vita hominum dispensatur, & regitur: concede, quæsumus, ut nostri Custodis preces, & patrocinia ab omnibus nos tueantur adversis. Per Dominum nostrum.

Ad Tertiam. p. 22. *Aña.* Jubilate Deo. *Capitulum.* Hæc dicit Dominus, *ut in pag.* 54.

℟. *brev.* Angelis suis Deus * Mandavit de te. ℣. Ut custodiant te in omnibus viis tuis. Mandavit de te. Gloria. Angelis suis.

℣. Dirige nos Domine.

℟. Per Angelum tuum.

Ad Sextam. p. 25. *Aña.* Ad te Domine de luce.

Capitulum. 4. *Reg.* 19.

PER viam, qua venit, revertetur, & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus: Protegamque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.

℟. *brev.* Dirige nos Domine * Per Angelum tuum.

℣. Quoniam tu es Deus salvator noster. Per Angelum. Gloria. Dirige. ℣. Angelus Domini. ℟. Nobis astitit.

Ad Nonam. p. 27. *Aña.* Laudate Dominum.

Capitulum. 4. *Reg.* 19.

FActum est nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.

℟. *brev.* Angelus Domini * Nobis astitit. ℣. Et lumen refulsit in habitaculo carceris. Nobis. Gloria. Angelus Domini. ℣. Adorate Dominum. ℟. Omnes Angeli ejus.

Ad Vesperas Añœ. de Laudibus. Psalmi Dixit Dominus, *cum reliquis, pag.* 1. *& loco ultimi*

Psalmus 137.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, & veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero

ro te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: * quia audierunt omnia verba oris tui:

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit: * & alta á longé cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: * & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine misericordia tua in sæculum, opera manuum tuarum ne despicias.

Capitulum.

HÆC dicit Dominus de Rege.

Hymnus Orbis patrator, *ut supra in primis Vesperis.* ℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In Quadrages. ℣. In conspectu Angelorum, *ut in primis Vesperis.*

Ad Magnificat Aña.

Confortavit Dominus seras portarum civitatis suæ, & posuit Angelum ad pacem, & custodiam in finibus ejus.

Oratio, Omnipotens, *ut in pag.* 55.

Et fit commemoratio S. Eulogii, & Feriæ.

DIE XI. MARTII.

In festo Divi Eulogii Martyris. Dup.

Ad Vesperas Aña. Qui me confessus, *cum reliquis de Laudibus. Psalmi ut in pag.* 1.

Capitulum. *Jacobi* 1. *b.*

BEatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitę, quam repromisit Deus diligentibus se.

Hymnus.

DEus tuorum militum
Sors, & corona præmium,
Laudes canentes Martyris
Absolve nexu criminis.

Hic nempé mundi gaudia,
Et blanda fraudum pabula
Imbuta felle deputans
Pervenit ad cælestia.

Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter,
Fundensque pro te sanguinem
Æterna dona possidet.

Ob hoc precatu supplici
Te poscimus piissime,
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam servulis.

Laus, & perennis gloria
Patri, sit, atque Filio,
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula.
Amen

℣.

℣. Gloria, & honore coronasti eum Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Magnificat Aña.

Iste sanctus pro lege Dei sui certavit, usqué ad mortem, & á verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

Oratio.

DEus, qui in summa temporum turbulentia afflictæ familiæ tuæ Beatum Eulogium Martyrem tuum ad solatium tribuere dignatus es: concede propitius, ut qui hæc læti festa peragimus, ejus quoque in religione constantiam imitemur. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinum Invitatorium.

℟egem Martyrum Dominum, * Venite adoremus.

Psalmus. Venite, exultemus *pag.* 4.

Hymnus. Deus tuorum, *ut suprá.*

In primo Nocturno,

Aña. In lege Domini fuit voluntas ejus die, ac nocte.

Psalmas 1.

BEatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, * & in cathedra pestilentię non sedit:

Sed in lege Domini voluntas ejus, * & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, * quod fructum suum dabit in tempore suo:

Et folium ejus non defluet: * & omnia quęcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic; * sed tanquam pulvis, quem projicit ventus á facie terræ.

Ideó nón resurgent impii in judicio: * neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum: * & iter impiorum peribit.

Aña. In lege Domini fuit voluntas ejus die, ac nocte.

Aña. Prædicans præceptum Domini constitutus est in monte sancto ejus.

Psalmus 2.

QUare fremuerunt Gentes, * & populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum * adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: * & projiciamus á nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: * & Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in irá sua, * & in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem

sanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula á me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, * & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, * & tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: * & exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, * & pereatis de via justa.

Cúm exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Aña. Prædicans præceptum Domini constitutus est in monte sancto ejus.

Aña. Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo.

Psalmus 3.

DOmine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum: * & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * & super populum tuum benedictio tua.

Aña. Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo. ℣. Gloria & honore coronasti eum Domine. ℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Pater noster. *Absolutio.* Exaudi Domine. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Benedictione perpetua.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j. *Cap.* 8. *c.*

FRatres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ij sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterúm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater.) Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & heredes:

redes: hęredes quidem Dei, cohęredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Existimo enim, quod non sunt condignę passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.

℟. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, & á verbis impiorum non timuit: * Fundatus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Fundatus *Benedictio.* Unigenitus Dei Filius.

Lectio ij.

SCimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. Quid ergò dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus, qui justificat: quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

℟. Justus germinabit sicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit. *Benedictio.* Spiritus sancti gratia.

Lectio iij.

QUis ergo nos separabit á charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius (sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: Æstimati sumus sicut oves occisionis.) Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare á charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

℟. Iste cognovit justitiam, & vidit mirabilia magna, & exoravit Altissimum: * Et inventus est in numero sanctorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna.

regna. Et inventus. Gloria Patri. Et inventus.

In secundo Nocturno.

Aña. Filii hominum scitote, quia Dominus sanctum suum mirificavit.

Psalmus 4.

CUM invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, * & exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequó gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum; * Dominus exaudiet me, cúm clamavero ad eum.

Irascimini, & nolite peccare: * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino, * Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: * dedisti lætiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, & requiescam;

Quoniam tu Domine singulariter in spe * constituisti me.

Aña. Filii hominum scitote, quia Dominus sanctum suum mirificavit.

Aña. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum Domine.

Psalmus. 5.

VErba mea auribus percipe Domine, * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, * Rex meus, & Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine, mane exaudies vocem meam.

Mané astabo tibi, & videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus: * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus: * ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosé agebant, * judica illos Deus.

De-

Decidant á cogitationibus suis, secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, * quoniam irritaverunt te Domine.

Et lætentur, omnes, qui sperant in te: * in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, * quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ * coronasti nos.

Aña. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum Domine.

Aña. In universa terra gloria & honore coronasti eum.

Psalmus 8.

DOmine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam & stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum pauló minús ab Angelis, gloria & honore coronasti eum: * & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves & boves universas, insuper & pecora campi.

Volucres cœli, & pisces maris, * qui perambulant semitas maris,

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Aña. In universa terra gloria & honore coronasti eum.

℣. Posuisti Domine super caput ejus. ℟. Coronam de lapide pretioso. Pater noster. *Absolutio.* Ipsius pietas. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Deus Pater omnipotens.

Ex Alvaro Cordubensi ejus Sodale, & oculato teste.

Lectio jv.

BEatus Eulogius Cordubę nobili stirpe progenitus, in clericorum S. Zoyli Collegio Ecclesiæ ministerio mancipatur, Ab ipsisque incunabulis senilem mentem in parvo corpore gerens, præibat omnes scientia, & humilior certé etiam infimis videbatur. Itaque magistrorum doctor effectus, cœpit se acrioris vitę austeritate constringere, scripturis vacare divinis; modò clerum, modó cœnobia monachorum invisere; & utriusque ordinis munera diligenter implere. Martyrum sui temporis triumphos scripsit, & insigni pietate, parique eruditione ab invidia vindicavit. Tam multis denique virtutibus floruit, ut eum Ecclesiæ Toletanæ Præsulem proviaciales, & finitimi Epis-

Episcopi elegerint, propé diem consecrandum, nisi rerum obviantium adversitate obsistente, Deus illum ad martyrii lauream reservasset.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Lectio v.

NAM cúm Leocritiam nobilem ex Arabibus Virginem, quæ ob susceptam Chisti fidem graviter á parentibus vexabatur, ad se confugientem in tuto locasset: quadam die in sororis suę domo à militibus Præsidis deprehensus, una cum Beata Leocritia Judici sistitur. Qui cúm de virgine quæsisset ex eo, ita respondit: Se Divini verbi doctorem christianam fæminam christianæ veritatis luce lustrasse, & viam illi regni cœlestis exposuisse. Tum Præses irato vultu virgas expediri jubet, ac, his, inquit, animam tuam educere volo. Cui ille: Gladium, inquit, acue, & compone, quo animam á vinculo corporis expeditam ei reddas, qui dedit. Acriter deindé in sui vatis errores invectus ad Regis consiliarios in palatium ducitur. Ubi unus ex ipsis illi familiarissimé notus: Audi me, inquit, & ne præcipiti casu corruas, rogo: dic tantùm verbo in hoc mortis periculo, negare te Christum, & posteá tua, ubi potueris, utere fide, promittimus te nuspiàm inquirendum.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate. *Benedictio.* Ignem sui.

Lectio vj.

SEd cùm ille nihilominùs Christi fidem constanti libertate prædicaret, gladio transfigi jubetur. Cumque duceretur ad mortem, infligenti sibi alapam Regis ministro alteram faciem præparans: Obsecro, inquit, ut hanc iterúm verberando, priori coæques. Quam cúm secundò feriret, priorem paravit. Sed impetu militum ad supplicii locum deductus, positis genibus, Deum orans, cervicem mucroni tetendit, & ictu celeri mundum contemnens, vitam sempiternam invenit. Mox veró ex eminentiori loco in ripam fluminis projectus est, & candidissima extempló columba per aêra sese dimisit in corpus; quam cúm Arabes nec lapidibus, nec manibus quidem cominùs abigere

gere potuissent, illá corpori non involitans, sed insiliens ad turrim corpori imminentem se recepit. Visi deindé sub noctem á milite, qui excubias agebat, pulcherrimi Sacerdotes ad ejus corpus Psalmos cum accensis facibus concinentes; postero die caput ejus á Christianis redemptum, & altero corpus collectum est, & in Æde S. Zoyli sepultum. Undé postea simul cum B. Leocritia Ovetum translatum est. Obiit anno Domini octingentesimo quinquagesimo nono, quinto Idus Martii.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris, potavit illum. Et coronam pulchritudinis. Gloria. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Aña. Justus Dominus, & justitiam dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

Psalmus 10.

IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: * Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra: * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto, suo * Dominus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, & impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos, * ignis, & sulphur; & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit: * æquitatem vidit vultus ejus.

Aña. Justus Dominus, & justitiam dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

Aña. Habitabit in tabernaculo tuo: requiescet in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * & operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * & opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in cons-

conspectu ejus malignus : * timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, & non decipit : * qui pecuniam suam non dedit ad usuram , & munera super innocentem non accepit:

Qui facit hæc , * non movebitur in æternum.

Aña. Habitabit in tabernaculo tuo : requiescet in monte sancto tuo.

Aña. Posuisti Domine super cáput ejus coronam de lapide pretioso.

Psalmus 20.

DOmine in virtute tua lætabitur rex : * & super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei:* & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: * posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit á te : * & tribuisti ei longitudinem dierum in sęculum, & in sæculum sęculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo : * gloriam, & magnum decôrem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi : * lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino: * & in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis : * dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui : * Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes : * & semen eorum á filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala ; * cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: * in reliquiis tuis pręparabis vultum eorum.

Exaltare Domine in virtute tua : * cantabimus & psallemus virtutes tuas.

Aña. Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso. ℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo. ℟. Gloriam, & magnum decôrem impones super eum. Pater noster. *Absolutio.* A vinculis. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Evangelica lectio. Lectio S. Evang. fol. 145

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Si quis venit

Lectio vij. *Cap.* 10.

IN illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Ho-

Evangeli Si quis vult post me venire fol. 1..

Homilia Sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. in Matth. cap. 10.

SUprá dixerat, Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure audîtis, prædicâte super tecta. Nunc infert, quid post prædicationem sequatur. Ad fidem Christi totus orbis contra se divisus est: unaquæque domus & infideles & credentes habuit; & propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala. Tale quid & in Genesi adversus rebelles homines, qui moti fuerant de Oriente, & turrem extruere festinabãt, per quam cœli alta penetrarent, fecisse scribitur Deus, ut divideret linguas eorum.

℟. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitâtis, gloria honôris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa. *Benedictio.* Cujus festum colimus.

Lectio viij.

VEni enim separare hominem adversus patrem suum. Hic locus propé iisdem verbis in Michæa Propheta scribitur. Et notandum, ubicumque de veteri Testamento testimonium ponitur, utrúm sensus tantùm, an sermo consentiat. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Qui ante præmiserat, non veni pacem mittere, sed gladium, & dividere homines adversus patrem & matrem, nurum & socrum, ne quis pietatem religioni anteferret, subjecit dicens: Qui amat patrem aut matrem plusquam me. Et in Cantico legimus canticorum: Ordinavit in me charitátem. Hic ordo in omni affectu necessarius est: ama post Deum, patrem, ama matrem, ama filios.

℟. Hic est veré martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit. * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitâtis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas. *Benedictio.* Ad societatem.

Si hoc festum celebratur in Quadragesima, nona lectio legitur de Homilia Feriæ occurrentis, & de ea fit commemoratio.

Lectio jx.

ORdo pulchérrimus: ad prædicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum subjicit religioni. Aurum supra túlerat, æs de zona excussérat: dura Evangelistârum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus necessaria? Austeritâtem mandatôrum spe témperat pro-

 mis-

missôrum: Qui recipit, inquiens, vos, me récipit: & qui me récipit, récipit eum qui me misit: ut in suscipiendis Apostolis unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitrêtur.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

AD LAUDES,

& per Horas, Aña.

QUI me confessus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo. *Psalm.* Dominus regnavit, *cum reliquis pag.* 15.

Aña. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Aña. Qui mihi ministrat, me sequatur; & ubi ego sum, illic sit & minister meus.

Aña. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dominus.

Aña. Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus.

Capitulum. *Jacob.* 1. *b.*

BEatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cúm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligetibus se.

Hymnus.

INvicte Martyr, unicum
Patris secutus Filium,
Victis triumphas hostibus,
Victor fruens cœlestibus.

Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium
Vitæ repellens tædium.

Soluta sunt jam vincula:
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinclis sæculi
Dono superni Numinis.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc & per omne sæculum.
Amen.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut Cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus.

Aña. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Oratio.

DEus, qui in summa temporum turbulentia afflictæ familiæ tuæ Beatum Eulogium Martyrem tuum ad solatium tribuere dignatus es, concede propitius, ut qui hæc læti festa peragimus, ejus quoque in religione constantiam imitemur: Per Dominum nostrum.

Ad Tertiam, pag. 22.

Aña. Qui sequitur me.

Capitulum. Beatus vir, *pag.* 66.

℟. *brev.* Gloria, & honore, * Coronasti eum Domine Gloria, & honore. ℣. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Goronasti. Cloria Patri. Gloria, & honore. ℣. Posuisti Domine super caput ejus. ℟. Coronam de lapide pretioso.

Ad

Ad Sextam, *pag.* 25.

Aña. Qui mihi ministrat.

Capitulum. *Eccles.* 15.

CIbavit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum Dominus Deus noster.

℞. *brev.* Posuisti Domine, * Super caput ejus. Posuisti. ℣. Coronam de lapide pretioso. Super. Gloria Patri. Posuisti. ℣. Magna est gloria ejus in salutari tuo. ℞. Gloriam, & magnum decôrem impones super eum.

Ad Nonam, *pag.* 27.

Aña. Volo Pater.

Capitulum *Eccl.* 39.

JUstus cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

℞. *brev.* Magna est gloria ejus, * In salutari tuo. Magna est. ℣. Gloriam, & magnum decôrem impones super eum. In salutari. Gloria Patri. Magna est. ℣. Justus ut palma florebit. ℞. Sicut Cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Vesperas.

Aña. Qui me confessus, *cum reliq. de Laudibus. Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliq. pag.* 1. *loco ultimi,*

Psalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus sum; * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo, * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: * & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

In 2. *Vesp. Cap. S. Gregorii Papæ. Aña.* O Doctor; *comm. Divi Eulogii*, *& feriæ.*

DIE XIII. MARTII.

In fest. Ss. Ruderici, *& Salomonis Mart. Dup.*

Omnia dicuntur ut in festo Ss. Gumesindi, *& Servi Dei pag.* 1. *præter ea*, *quæ sequuntur.*

Oratio.

DEus, qui nos beatorum Martyrum tuorum Ruderici, & Salomonis solemnitate lætificas: concede, quæsumus, ut ad meliorem vitam eorum exempla nos provocent, quorum venerandam passionem annua de-

devotione recolimus. Per Dominum nostrum.

In primo Noct. Lectiones ut in fest. Divi Eulogii pag. 59.

In secundo Nocturno.

Ex Apologetico Divi Eulogii.

Lectio jv.

BEatus Rudericus Presbyter Ægabrensis ab Æthnico fratre Christianæ apud Judicem fidei accusatus, in horridum carcerem conjicitur. Ubi Beatum reperit Salomonem ob eandem causam vinculis oneratum. Mox individuo voto nectuntur, & mutuis cohortationibus, jejuniis, atque aliis pietatis operibus ad certamen armantur. Cumque variis deceptionum illecebris à Judice tentarentur, constantissimi in religionis sententia perseverant. Quaré acrioribus frendens clamoribus Judex, Perduellium, inquit, lictores properate, colla abscindite, & debitam in eorum capita retorquete vindictam. Mox super crepidinem alvei constituti, crucis signaculo se premuniunt, atque ense prostrantur.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percusit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes innundaverunt. Terra. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Lectio v.

EQuibus prior Dei sacerdos Rudericus occumbens, previus triumphator Cœlum intravit; Salomonem veró, quem horrore decisi cadaveris Judex, ut cupiebat, flectere non potuerat, promissis aggreditur: sed in fidei confessione constantem tandem gladio vindice trucidavit. Cadavera tanta decôris pulchritudine fulgebant, ut crederes, si á quoquam rogarentur, protinús locutura. Judex veró, quasi aliquis titulus putaretur victoriæ cum defunctis bellum inire, jubet corpora inversis vestigiis configi, ac postremò cum ingenti lapidum onere separatim flumine immergi. Sed aquæ ad imperium Creatoris intentę creditas sibi opes, & erepta saxorum pondere membra placido remigio fluctuum ad ripam exposuere.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut heredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

Lectio. vj.

EA de re sacerdos quidam ab Arabibus monitus eo per noctem accurrit, & S. Ruderici caput, ac corpus, quæ seorsum jac-

jactata fuerant, simul reperit. Mox inter accensas faces, & obviantia populorum agmina, fluentesque præ gaudio lacrymas in secretum cubile deducit. Quod mirum suavitatis odorem aspirans, ablato etiam pavimenti pulvere, ferunt aliquandiù fragrasse. Fit omnibus in stuporem, quòd inhumatum corpus nulla putredo insumpserit, nulla pestis infecerit, nulla tabes corruperit, nulla bestiarum, altiliumvé rabida fames discerpserit, nec propriæ cutis qualitatem tot dierum interjecta capedo immutarit. Itaque post dulcissima, piorum oscula, cum lætis Hymnorum cantibus in æde Sancti Genesii sepelitur. Beatus autem Salomon, cúm eumdem sacerdotem, ubi jaceret, per quietem admonuisset, indé in templum Sanctorum Cosmæ, & Damiani transfertur. Passi sunt anno Domini octingentesimo quinquagesimo septimo, die Martii decimo tertio.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evangel. Cum audieritis prælia, *pag.* 13.

DIE XV. MARTII.

In festo S. Leocritiæ Virginis, & Martyr Dup.

Ad Vespera.

Aña. Hæc est virgo sapiens, & una de numero prudentum.

Psalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo: * sede á dextis meis:

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: * tu es sacerdos in æternum, secundúm ordinem Melchisedech.

Dominus à dextris tuis, * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus; implebit ruinas: * conquassabit capita in terra multorom.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Aña. Hæc est virgo sapiens, & una de numero prudentum.

Aña. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit.

Psal-

Psalmus 112.

LAudate pueri Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum: * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes Gentes Dominus, * super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, * & humilia respicit in cœlo, & in terra?

Suscitans á terra inopem: * & de stercore erigens pauperem:

Ut collocet eum cum principibus, * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, * matrem filiorum lætantem.

Aña. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit.

Aña. Hæc est, quę nescivit torum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

Psalmus 121.

LÆtatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri, * in atriis tuis Jerusalem.

Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini: * testimonium Israêl ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio, * sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem: * & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: * & abundantia in turribis tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos, * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri, * quæsivi bona tibi.

Aña. Hæc est, quę nescivit torum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

Aña. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, alleluia.

Psalmus 126.

NIsi Dominus ædificaverit domum, * in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, * frustrá vigilat, qui custodit eam.

Vanum est vobis anté lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cúm dederit dilectis suis somnum; * ecce hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagittę in manu potentis:

tis : * ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis : * non confundetur, cùm loquetur inimicis suis in porta.

Aña. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, alleluia.

Aña. Ista est speciosa inter filias Jerusalem.

Psalmus 147.

LAuda Jerusalem Dominum: * lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum : * benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem; * & adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ : * velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam, * nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut bucellas : * ante faciem frigoris ejus, quis sustinebit ?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea : * flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob, * justitias, & judicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: * & judicia sua non manifestavit eis.

Aña. Ista est speciosa inter filias Jerusalem.

Capitulum. 2. *Cor.* 10. *d.*

FRatres, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Hymnus.

JEsu, corona Virginum,
Quem Mater illa concipit,
Quæ sola Virgo parturit,
Hæc vota clemens accipe.

Qui pergis inter lilia,
Septus choreis Virginum,
Sponsus decorus gloria,
Sponsisque reddens præmia.

Quocumque tendis Virgines
Sequuntur, atque laudibus
Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur supplices,
Nostris ut addas sensibus,
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. Intende, prosperé procede, & regna.

Ad Magnificat,

Aña. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti : concede propitius,

ut

ut qui beatæ Leocritiæ Virginis, & Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinum Invitat.

Regem Virginum Dominum, * Venite adoremus. *Psalm.* Venite, exultemus, *pag.* 4.

Hymnus.

VIrginis Proles, Opifexque Matris,
Virgo quem gessit, peperitque Virgo;
Virginis partos canimus decora
Morte triumphos.

Hæc enim palmæ duplicis beata
Sorte, dum gestit fragilem domare
Corporis sexum, domuit cruentum
Cæde tyrannum.

Unde nec mortem, nec amica mortis
Mille pœnarum genera expavescens,
Sanguine effuso meruit serenum
Scandere cœlum.

Hujus oratu, Deus alme, nobis
Debitas pœnas scelerum remitte;
Ut tibi puro resonemus almum
Pectore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,
Et tibi compar utriusque virtus
Spiritus sẽper, Deus unus omni
Temporis ævo. Amen.

In primo Nocturno,

Aña O quám pulchra est casta generatio cum claritate!

Psalmus 8.

DOmine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam & stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum pauló minús ab Angelis, gloria & honore coronasti eum: * & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves & boves universas, insuper & pecora campi.

Volucres cœli, & pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Aña. Oquám pulcra est casta generatio cum claritate!

Aña. Ante torum hujus virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

Psal-

Psalmus 18.

CŒli enarrant gloriam Dei, * & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * & nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * & in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: * & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo:

Exultavit ut gigas ad currendam viam; * á summo cœlo egressio ejus:

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est, qui se abscondat á calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas: * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum: * & dulciora super mel, & favum.

Etenim servus tuus custodit ea: * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta, quis intelligit? ab occultis meis munda me: * & ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero; * & emundabor á delicto maximo.

Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei: * & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, * & redemptor meus.

Aña. Ante torum hujus virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

Aña. Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitudo ejus; * orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super mária fundavit eum: * & super flumina pręparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo:

Hic accipiet benedictionem á Domino, * & misericordiam á Deo salutari suo.

Hæc est generatio quęrentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras,

stras, & elevamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Añt. Revértere, revértere Sunamitis: revértere, revértere, ut intueamur te.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. Intende, prosperé procede, & regna. Pater noster. *Absolutio.* Exaudi. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Benedictione perpetua.

De Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Corinth.

Lectio j. *Cap. 7. c.*

DE virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus á Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: reliquum est, ut & qui habent uxores, tamquam non habentes sint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.

℟. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quám tibi Dominus præparavit in æternum: pro cujus amore sanguinem tuum fudisti, * Et cum Angelis in paradisum introisti. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. Et cum Angelis. *Benedictio.* Unigenitus Dei Flius.

Lectio ij.

VOlo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodó placeat Deo. Qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat, quæ sunt mundi, quomodó placeat viro Porró hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat siné impedimento Dominum obsecrandi.

℟.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * proptereá benedixit te Deus in æternum. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prospere procede, & regna. Propterea. *Benedictio.* Spiritus sancti gratia.

Lectio iij.

SI quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quód sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult, faciat: non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit: & qui non jungit, meliús facit. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quód si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantúm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundúm meum consilium: puto autem, quod & ego Spiritum Dei habeam.

℟. Specie tua & pulchritudine tua, * Intende, prosperé procede, & regna. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, proptereá benedixit te Deus in æternum. Intende. Gloria Patri. Intende.

In secundo Nocturno.

Aña. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna.

Psalmus 44.

ERuctavit cor meum verbum bonum: * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ, * velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: * proptereá benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum, * potentissimé.

Specie tua & pulchritudine tua, * intemde, prosperé procede, & regna:

Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuę acutæ, populi sub te cadent, * in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: * virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * proptereá unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & casia á vestimentis tuis, á domibus eburneis: * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina á dextris tuis in vestitu deaurato, * circumdata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: * & obliviscere

re populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: * quoniam ipse est Dominus Deus tuus & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur omnes divites plevis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: * proximę ejus afferentur tibi:

Afferentur in lætitia & exultatione: * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui * in omni generatione, & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum; * & in sęculum sæculi.

Aña. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna.

Aña. Adjuvabit eam Deus vultu suo; Deus in medio ejus non commovebitur.

Psalmus 45.

DEus noster refugium & virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: * & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjavabit eam Deus mané diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: * & scuta comburet igni:

Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus: * exaltabor in Gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Aña. Adjuvabit eam Deus vultu suo; Deus in medio ejus non commovebitur.

Aña. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.

Psalmus 47.

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis * in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universę terrę mons Sion, * latera Aquilonis,

lonis, civitas Regis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur, * cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terrę congregati sunt: * convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt: * tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis, * In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, * Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus Deus misericordiam tuam, * in medio templi tui.

Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ, * propter judicia tua Domine.

Circumdate Sion, & complectimini eam: * narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus: * & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Aña. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus non commovebitur. Pater noster. *Absolutio.* Ipsius pietas. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Deus Pater omnipotens.

Ex Alvaro Cordubensi in vita Divi Eulogii.

Lectio jv.

Leocritia genere nobilis, sed mente nobilior, Arabicis parentibus orta, sed tamquam ovis ex lupis in ovile Christi reducta, fidem, quam tenerrimis annis imbiberat, occulté primùm, deindé etiam aperté colebat. Id ubi parentes agnoscunt, blanditiis primùm aggrediuntur, deindé minas, & verbera intentant, ut quam per blandimenta non poterant à proposito dimovere, saltem terroribus coêrcerent. Cùm dies igitur, noctesque duris impedita vinculis, crudeliter cęderetur, fugam meditatur. Itaque de consilio B. Eulogii clandestina fuga ordinatur. Illa selecta induens ornamenta, sese quasi placitura, & nuptura sæculo ostendit. Cúmque omnia sibi tuta esse prospiceret, finxit se ad propinquorum nuptias ornaté procedere, ac sese in Beati Eulogii fidem, portumque recepit.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Et deducet te mirabiliter dextera tua ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé

peré procede, & regna. * Et deducet te.

Lectio v.

AST ubi parentes expectantes filiam, non viderunt, delusos se ingemiscentes inaudita rabie, ac dolore efferantur: cuncta disturbant: notorum, ignotorumque domos scrutantur: Christianos omnes, viros æqué, atque fœminas ad prodendam Virginem jussu Præsidis vinculis, verberibusque compellunt. Inter hæc Leocritia nuda humo cubans, exercita vigiliis, & jejuniis pasta, ciliciis severé membra corporis elimabat. Cumque locis subindé mutatis parentum elusisset industriam, & B. Eulogii sororem videre cuperet, ad eos nòctu se contulit. Quibus & retulit: Oranti sibi semel, & iterúm os liquore mellis impletum. Cui B. Eulogius præsagium esse affirmavit æternæ, atque cœlestis, quamprimúm sibi perfruendæ voluptatis.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. * Propter eá unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitię. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propter eá unxit.

Lectio vj.

VErúm dum postero die redire disponit, factum est, ut itineris comes non de nocte, ut solebat, propter parentum insidias, sed inlucescente jam aurora veniret. Quaré coacta inibi totum diem manere, nescio, quorum insidiis proditur, & á militibus comprehensa Judici sistitur. Sed cúm variis artibus, promisisque oppugnata, constans in Christiana fide persisteret, quarto post D. Eulogium die in flumen jugulata projicitur. Sed aquis nec summergi potuit, nec celari: erecto enim corpore pergens, mirum omnibus visum præbuit. Et sic á Christianis educta, in Basilica Sancti Genesii martyris sepelitur. Unde posteá Ovetum simul cum S. Eulogio translata miraculis claruit. Martyrio coronata est anno Domini octingentesimo quinquagesimo nono, die Martii decimo quinto.

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximę ejus * afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna. * Afferentur tibi. Gloria. Afferentur.

In tertio Nocturno.

Aña. Nigra sum, sed formosa, filię Jerusalem: ideó dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum suum.

Psal.

Psalmus 95.

CAntate Domino canticum novum : * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus : * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, * in omnibus populis marabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis : * terribilis, est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia : * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus : * sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patrię Gentium, afferte Domino gloriam, & honorem : * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus ; * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur á facie ejus universa terra : * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrę, qui non commovebitur : * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus : * gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum á facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrę in ęquitate, * & populos in veritate sua.

Aña. Nigra sum, sed formosa, filię Jerusalem : ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum suum.

Aña. Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum : oleum effusum nomen tuum.

Psalmus 96.

DOminus regnavit, exultet terra : * lætentur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in circuitu ejus : * justitia, & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum pręcedet, * & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terrę : * vidit, & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt á facie Domini : * á facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * & qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus:

ejus: * audivit, & lætata est Sion.

Et exultaverunt filię Judę, * propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino: * & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Aña. Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum: oleum effusum nomen tuum.

Aña. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus pręparavit in ęternum.

Psalmus 97.

CAntate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus; * & brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordię suę, * & veritatis suę domui Israêl.

Viderunt omnes termini terrę: * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, & exultate, & psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara, & voce psalmi: * in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: * moveatur mare, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt á conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia: * & populos in æquitate.

Aña. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. ℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam. Pater noster. *Absolutio.* A vinculis. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundúm Matthęum.

Lectio vij. *Cap.* 13. *f.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum ✗ thesauro abscondito in agro. Et reliqua. Ho-

✗ Decem virginib. fol. 140

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 11. *in Evangelia.*

Cœlorum regnum, fratres charissimi, idcircó terrenis rebus simile dicitur, ut ex his, quæ animus novit, surgat ad incognita, quæ non novit: quatenùs exemplo visibilium se ad invisibilia rapiat, & per ea, quę usu didicit, quasi confricatus incalescat: ut per hoc, quod scit notum diligere, discat & incognita amare. Ecce enim cœlorum regnum thesauro abscondito in agro comparatur: quem qui invenit homo, abscondit & præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.

℟. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secum oleum: * Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias. ℣. Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Et veniente. *Benedictio.* Cujus, vel quarum festum colimus.

Lectio viij.

QUA in re hoc quoque notandum est, quòd inventus thesaurus absconditur, ut servetur: quia studium cœlestis desiderii á malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibùs non abscondit. In præsenti etenim vita, quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergô desiderat, qui thesaurum publicé portat in via. Hoc autem dico, non ut proximi opera nostra bona non videant, cúm scriptum sit: Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est: sed ut per hoc, quod agimus, laudes exterius, non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenùs intentio maneat in occulto: ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.

℟. Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obviam ei. ℣. Prudentes Virgines aptate vestras lampades. Ecce. Gloria Patri. Ecce. *Benedictio.* Ad societatem.

Lectio ix.

THesaurus autem cœleste est desiderium: ager veró, in quo thesaurus absconditur, disciplina studii cœlestis. Quem profecto agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta

sua terrena desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat: ut nihil jam, quòd caro blanditur, libeat; nihil, quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

AD LAUDES,

& per Horas, Aña.

HÆC est virgo sapiens, & una de numero prudentum. *Psalmus.* Dominus regnavit, *cum reliq. pag.* 15.

Aña. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit. *Aña.* Hæc est, quæ nescivit torum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Aña.* Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, alleluia. *Aña.* Ista est speciosa inter filias Jerusalem.

Capitulum. 2. *Cor.* 10. *d.*

FRatres, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Hymnus.

JEsu, corona Virginum,
Quem Mater illa concipit,
Quæ sola Virgo parturit,
Hæc vota clemens accipe.

Qui pergis inter lilia,
Septus choreis Virginum,
Sponsus decorus gloria,
Sponsisque reddens præmia.

Quocumque tendis Virgines
Sequuntur, atque laudibus
Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur supplices,
Nostris ut addas sensibus,
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus.

Aña. Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, & comparavit eam.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius, ut qui beatæ Leocritiæ Virginis, & Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum.

Ad Tertiam, pag. 22,

Aña. Hæc est virgo sapiens. *Capitulum.* Fratres, Qui gloriatur, *ut supr.*

℟. *brev.* Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie tua. ℣. Intende, prosperé procede,

&

& regna. Et pulchritudine. Gloria. Specie tua. ℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Ad Sextam, *pag.* 25.

Aña. Hæc est, quæ nescivit.

Capitulum. 2. *Cor.* 11.

Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Chisto.

℟. *brev.* Adjuvabit eam * Deus vultu suo. Adjuvabit ℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus vultu. Gloria Patri. Adjuvabit. ℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam, *pag.* 27.

Aña. Ista est speciosa.

Capitulum. *Eccl.* 51. *b.*

Domine Deus meus, exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecata sum. Invocavi Dominum Patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adjutorio.

℟. *brev.* Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. Et præelegit. Gloria Patri. Elegit. ℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Protereá benedixit te Deus in æternum.

Ad Vesperas Añæ. Psalmi, Capitulum, & Hymnus ut in primis Vesperis.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Proptereá benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat,

Aña. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

Oratio.

Deus, qui inter cetera, *pag.* 82. *Et fit commemoratio feriæ.*

DIE XVIII. MARTII.

In festo S. Gabrielis Archangeli, Dup. maj.

Ad Vesperas,

Aña. Ingresso Zacharia, *cum reliquis de Laudibus*, *Psalmi ut in die S. Angeli Custodis*, *pag.* 42.

Capitulum. *Dan.* 9. *e.*

Ecce vir Gabriël, quem videram in visione á principio, citó volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me; & locutus est mihi, & dixit: Daniël, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres.

Hymnus.

Christe Sanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis, & auctor:

No-

Nobis æternum tribue benignus
Scandere cœlorum.
Angelus fortis Gabriêl, ut hostem
Pellat antiquum, volitet ab alto,
Sæpius templum veniens ad istud
Visere nostrum.
Hinc Dei nostri Genitrix Maria
Totus & nobis chorus Angelorum
Semper assistat, simul & beata
Contio tota.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spititus; cujus reboat in omnî
Gloria mundo. Amen.

℣. Stetit Angelus juxtà aram templi. ℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnificat,

Aña. Ingressus Gabriel Angelus ad Mariam Virginem dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

Oratio.

DEus, quî inter cęteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuæ mysterium Gabriêlem Archangelum elegisti; concede propitius, ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cœlis. Qui vivis, & regnas cum Deo Patre.

Deindé fit commemoratio feriæ nisi celebretur post octávam Paschæ.

Ad Matutin. Invit.

Regem Archangelorum Dominum. * Venite adoremus. *Psalm.* Venite, exultemus, *pag.* 4.

Hymnus.

Christe Sanctorum, *ut suprá in Vesperis.*

In primo Nocturno,

Aña. Dixit Angelus Gabriel ad Danielem: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur visio.

Psalmus 8.

DOmine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super cœlos.

Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum, & ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam & stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum pauló minús ab Angelis, gloria & honore coronasti eum: *& constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves & boves universas, insuper & pecora campi.

Volu-

Volucres cœli, & pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quám admirabile est nomen tuum in universa terra!

Aña. Dixit Angelus Gabriel ad Danielem: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur visio.

Aña. Ecce vir Gabriel quem videram in visione, citó volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me.

Psalmus 10.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: * transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam, quæ perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, & impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos, * ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit: * æquitatem vidit vultus ejus.

Aña. Ecce vir Gabriel, quem videram in visione, citô volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me.

Aña. Cumque Gabriel loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo.

Psalmu. 14.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * & operatur justitiam:

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, * & opprobrium non accepit adversus proximos suos:

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, & non decipit: * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit:

Qui facit hæc, * non movebitur in æternúm.

Aña.

Aña. Cumque Gabriel loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram, & tetigit me, & statuit me in gradu meo.

℣. Stetit Angelus juxtá aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua,

Ex Daniel Propheta Cap. 9. c.

Lectio j.

EGO Daniel, cum adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israêl, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei pro monte Sancto Dei mei: Ecce vir Gabriel, quem videram in visione á principio, citó volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me, & locutus est mihi, & dixit: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem.

℟. Cúm oraret Daniel, & confiteretur peccata sua, & peccata populi sui: * Ecce Archangelus Gabriel citó volans tetigit eum in tempore sacrificii vespertini. ℣. Cumque prosterneret preces suas in conspectu Dei sui. Ecce Archangelus.

Lectio ij.

SEptuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur sanctus sanctorum. Scito ergó, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.

℟. Locutus est Gabriel Danieli, & dixit, ab exordio precum tuarum egressus est sermo, * Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. ℣. Tu autem animadverte sermonem, & intellige visionem. Ego autem.

Lectio iij.

ET post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium:

&

& erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio.

℟ Ecce vir Gabriel, quem videram, citó volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me, & dixit: * Daniel nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres. ℣. Gabriêl, fac intelligere istam visionem: & venit, & stetit juxtá, ubi ego stabam, & ait ad me. Daniel. Gloria. Daniel.

In secundo Nocturno.

Aña. Gabriel Angelus apparuit Zachariæ, dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.

Psalmus 18.

CŒli enarrant gloriam Dei, * & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, * & nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * & in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: * & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo:

Exultavit ut gigas ad currendam viam; * á summo cœlo egressio ejus:

Et occursus ejus usque ad summum ejus: * nec est, qui se abscondat á calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas: * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: * judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum: * & dulciora super mel, & favum.

Etenim servus tuus custodit ea: * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta, quis intelligit? ab occultis meis munda me: * & ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * & emundabor á delicto maximo.

Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei: * & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, * & redemptor meus.

Aña. Gabriel Angelus apparuit Zachariæ, dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.

Aña. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? Ego

enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.

Psalmus 23.

DOmini est terra, & plenitudo ejus; * orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.

Quia ipse super mária fundavit eum: * & super flumina preparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo:

Hic accipiet benedictionem á Domino, * & misericordiam á Deo salutari suo.

Hæc est generatio querentium eum, * quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: * & introibit Rex glorię.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ ęternales: * & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Aña. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.

Aña. Respondens autem Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

Psalmus 33.

BEnedicam Dominum in omni tempore: * semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: * audiant mansueti, & lætentur.

Magnificate Dominum mecum: * & exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum, & exaudivit me: * & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum, & illuminamini: * & facies vestræ non confundentur.

Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum: * & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immitet Angelus Domini in circuitu timentium eum: * & eripiet eos.

Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus: * beatus vir, qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti ejus: * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, & esurierunt: * inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Veni-

Venite filii, audite me: * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam: * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam á malo: * & labia tua ne loquantur dolum.

Diverte á malo, & fac bonum: * inquire pacem, & persequere eam.

Oculi Domini super justos: * & aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos: * & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxtà est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: * & humiles spiritu salvabit.

Multæ tribulationes justorum: * & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * & qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: * & non delinquent omnes, qui sperant in eo.

Aña. Respondens autem Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Ex Homilia de Laud. Virginis super Missus est.

Lectio jv.

Missus est Angelus Gabrlel á Deo. Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione. Quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum Fortitudo Dei dicitur: & quia non ab aliquo alio forté excellentiore se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, á Deo; vel ideó dictum est, á Deo: ne cui vel beatorum spirituum suum Deus, antéquam Virgini, revelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele. Qui utique tantæ inter suos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali & nomine dignus haberetur, & nuntio.

℟. Factum est, cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum: * Apparuit ei Angelus Gabriel stans á dextris altaris incensi. ℣. Cumque ingressus in tem-

plum Domini, incensum poneret secundúm consuetudinem sacerdotii sui. Apparuit ei.

Lectio v.

NEC discordat nomen á nuntio: Dei quippé virtutem Christum, quem meliús nuntiare decebat, quàm hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quám virtus? Non autem dedecens, aut incongruum videatur, Dominum, & nuntium communi censeri vocabulo, cúm similis in utroque appellationis, non sit tamen utriusque similis causa. Aliter quippé Christus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantúm nuncupativé, Christus autem etiám substantivé.

℞. Descendit Gabriel Angelus ad Zachariam dicens. * Ne timeas, quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem. ℣. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum: ait autem ad illum Angelus. Ne timeas.

Lectio vj.

CHristus Dei virtus & dicitur, & est: quæ forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superveniens, ipsum suo brachio debellavit: Et sic ei vasa captivitatis potenter eripuit. Angelus veró fortitudo Dei appellatus est, vel quód hujuscemodi meruerit prærogativam officii quo ejusdem nuntiaret adventum virtutis: vel quia virginem natura pavidam, simplicem, verecundam, ne miraculi novitate expavesceret, confortare deberet; quod & fecit. Ne timeas, inquiens, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur; immò quia tale illi negotium injungitur, recté tali nomine designatur.

℞. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc evangelizare. * Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant. ℣. Pro eo, quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur tempore suo. Ecce eris. Gloria Patri. Ecce eris.

In tertio Nocturno,

Aña. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Psalmus 95.

CAntate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam

riam ejus, * in omnibus populis marabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia: * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patrię Gentium, afferte Domino gloriam, & honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus; * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur á facie ejus universa terra: * dicite in Gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrę, qui non commovebitur: * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: * gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum á facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrę in ęquitate, * & populos in veritate sua.

Aña. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joesph.

Aña. Gabriel Angelus Mariæ dixit: Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.

Psalmus 96.

DOminus regnavit, exultet terra: * lætentur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in circuitu ejus: * justitia, & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum pręcedet, * & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terrę: * vidit, & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt á facie Domini: * á facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: * & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: * & qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, & lætata est Sion.

Et exultaverunt filię Judę, * propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * custodit Dominus

nus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino: * & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Aña. Gabriel Angelus Mariæ dixit: Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.

Aña. Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi á Domino per Angelum Gabrielem transmissum est.

Psalmus 102.

Benedic anima mea Domino: * & omnia, quæ intrá me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino: * & noli oblivisci omnes retributiones ejus:

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: * qui sanat omnes infirmates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: * qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Qui replet in bonis desiderium tuum: * renovabitur, ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus, * & judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, * filiis Israël voluntates suas.

Miserator, & misericors Dominus: * longanimis, & multúm misericors.

Non in perpetuum irascetur: * neque in æternum comminabitur.

Non secundúm peccata nostra fecit nobis: * neque secundúm iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam secundùm altitudinem cœli á terra, * corroboravit misericordiam suam super timentes se.

Quantúm distat ortus ab occidente: * longé fecit á nobis iniquitates nostras.

Quomodó miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: * quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Recordatus est quoniam pulvis sumus: * homo sicut fœnum dies ejus, tamquám flos flgri sic eflorebit.

Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet: * & non cognoscet amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno, * & usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum, * his, qui servant testamentum ejus.

Et memores sunt mandatorum ipsius, * ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit sedem suam: * & regnum ipsius om-

omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus: * potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus: * ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus: * in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Aña. Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum Gabrielem trasmissum est. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 1.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel á Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliquia.

Homilia S. Juliani Archiepiscopi Toletani.

Lib. 2. contra Judæos statim post initium.

SAcramentum illud septuaginta hebdomadarum de Christi nativitate Daniel per Angelum didicit: similiter & Zacharias, apparente sibi Angelo, Joannem filium de se generandum audivit: & Maria, Angelo sibi prædicente, Christum ex se nascendum, & credidit, & assensit. Hæc tria per Angelum dicta, & completa videmus. Jam ergo solicité intuendum est, utrum Angelus iste, qui Zachariæ, & Mariæ apparuit, ipse quoque Danieli illa prædixerit?

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph: & expavescit Virgo de lumine. * Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: Ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi filius. ℣. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio: & ait Angelus ei. Ne timeas Maria.

Lectio viij.

E Quidem ipse Daniel in prophetiæ suæ volumine, quandó illa Sacramenta heddomadarum de Christi nativitate per Angelum futura cognovit, sic ipsius Angeli nomen evidenter expressit. Dicit enim: Ecce vir Gabriêl, quem videram in principio, citó volans tetigit me, & dixit, Daniel, animadverte sermonem, & reliqua, quæ ibi commemorantur. Item his tempo-

poribus secundúm Evangelium Angeli ipsius nomen mirificum sic invenitur expressum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: Ego sum Gabriêl, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

℟. Gaude Maria Virgo cunctas hæreses sola interemisti * Quæ Gabriêlis Archangeli dictis credidisti, dúm Virgo Deum, & hominem genuisti, & post partum Virgo inviolata permansisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quæ Gabrielis. Gloria Patri. Quæ Gabrielis.

Nona lectio de Feria occurrenti, nisi transferatur post Octavam Paschæ, quia tunc dicitur sequens.

Lectio ix.

QUod etiam de Beatæ Mariæ Virginis partu sic in eodem Evangelio legitur: Missus est, inquit, Angelus Gabriel á Deo in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria. Jam ergo manifestum est, quód unus, idemque Angelus Gabriêl fuerit, qui & præfixa illa tempora Danieli de Christi nativitate aperuit, & partum Virginis præsentem esse monstravit. Ad tempus itaque præfinitum occurrit, & olim á se dicta operis efficientia completa esse convincit: & illic fidelis in prophetia hebdomadarum, & hic fidelis per mysterium revelatum.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

AD LAUDES,

& per Horas, Aña.

INgresso Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriêl Angelus, stans á dextris altaris incensi. *Psalmus.* Dominus regnavit decôrem, *cum reliq. pag.* 15. *Aña.* Ait autem Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. *Aña.* Ego sum Gabriêl Angelus, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te. *Aña.* Gabriel Angelus locutus est Mariæ, dicens: Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. *Aña.* Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodó fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Gabriêl Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Capitulum. *Dan.* 9. *c.*

ECce vir Gabriêl, quem videram in visione á principio, citó volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me: & locutus est mihi, & dixit: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres.

Hym-

Hymnus.

CHriste Redemptor omnium,
Conserva tuos famulos,
Beatæ semper Virginis
Placatus sanctis precibus.
Beata quoque agmina
Cœlestium spirituum
Præterita, præsentia,
Futura mala pellite.
Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus:
Ut Christo laudes debitas
Persolvamus alacriter.
Gloria Patri ingenito,
Ejusque Unigenito,
Unà cum sancto Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxtá aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Benedictus,

Aña. Gabriel Angelus descendit ad Zachariam, & ait illi: Uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem, & multi in nativitate ejus gaudebunt: ipse enim preibit ante faciem Domini præparare vias ejus.

Oratio.

DEus, qui inter ceteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuę mysterium Gabriêlem Archangelum elegisti: concede propitiús; ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cœlis: Qui vivis, & regnas.

Ad Tertiam, Aña. Ait autem. *Capitulum.* Ecce vir Gabriêl, *ut suprá in Laudibus.*

℟. *brev.* Stetit Angelus. * Juxtá aram templi. Stetit. ℣. Habens thuribulum aureum in manu sua. Juxtá. Gloria. Stetit. ℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam, Aña. Ego sum.

Capitulum. *Dan.* 9.

EGO autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut finem accipiat peccatum, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur sanctus sanctorum.

℟. *brev.* Ascendit fumus aromatum. * In conspectu Domini. Ascendit. ℣. De manu Angeli. In conspectu. Gloria Patri. Ascendit. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Nonam, Aña. Dixit autem.

Capitulum. *Dan.* 9.

SCito ergo, & animadverte; ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.

℟. *brev.* In conspectu Angelorum. * Psallam tibi Deus meus. In conspectu. ℣. Adorabo ad tem-

templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Psallam tibi. Gloria Patri. In conspectu. ℣. Adorate Deum. ℟. Omnes Angeli ejus.

Vesperæ S. Joseph Sponsi B. V. M. cum com. S. Gabrielis, & Feriæ.

Ad Magnifica,

Aña. Archangelus Gabriel ait ad Mariam: Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria; Ecce ancilla Domini fiat mihi secundúm verbum tuum: & discessit ab ea Angelus. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Oratio.

DEus, qui inter ceteros Angelos, *ut suprá in Laudibus.*

FESTA APRILIS.

DIE XVII.

In festo Sanctorum Heliæ Presbyteri, Pauli, & Isidori Monachorum Martyrum, Dup.

Ad Vesperas,

Aña. Sancti tui Domine, *cum reliquis de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dominus, *cum reliquis, pag.* 1.

Capitulum. *Sap.* 5.

STabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.

Hymnus.

REX gloriose Martyrum, *pag.* 18. *Ultim.* ℣.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui á mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Sancti & justi in Domino gaudete, alleluia. ℟. Vos elegit Deus in hereditatem sibi, alleluia.

Ad Magnificat,

Aña. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & æternitas temporum, alleluia.

Oratio.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Beatorum Martyrum tuorum Heliæ, Pauli, & Isidori meritis, & intercessione á nostris reatibus absoluti á gehennæ incendiis liberemur. Per Dominum.

Ad Matutinum Invitat.

Exultent in Domino sancti, * Alleluia. *Psalmus.* Venite, exultemus, *pag.* 4,

Hymnus.

CHristo profusum sanguinem, *pag.* 5.

In primo nocturno,

Aña. Stabunt justi in magna cons-

constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, alleluia.

Sub una tantum Antiphona dicuntur Psalmi cujuslibet Nocturni.

Extra tempus Paschale omnia ut in festo SS. Gumesidi, & Soc. pag. 1.

Psalm. Beatus vir. Quare fremuerunt. Domine, quid multiplicati sunt, *pag.* 5.

℣. Sancti & justi in Domino gaudete, alleluia. ℟. Vos elegit Deus in hereditatem sibi, alleluia. Pater noster. *Absolutio.* Exaudi Domine. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Benedictione perpetua.

Lect. 1 *Noct. de Script. occur.*

℟. j. Beatus vir qui metuit Dominum, alleluia, * In mandatis ejus cupit nimis, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi. In mandatis. *Benedictio.* Unigenitus Dei Filius.

℟. ij. Tristitia vestra, alleluia, * Convertetur in gaudium, alleluia, alleluia. ℣. Mundus autem gaudebit vos verò contristabimini, sed tristitia vestra. Convertetur in gaudium. *Benedictio.* Spiritus sancti gratia.

℟. iij. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia, * Mors sanctorum ejus, alleluia. ℣. Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. Mors. Gloria Patri. Mors.

In secundo Nocturno,

Aña. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est, alleluía.

Psalm. Domine, quis habitabit. Conserva me. Domini est terra. *pag.* 7.

℣. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, elleluia. ℟. Et æternitas temporum, alleluia. Pater noster. *Absolutio.* Ipsius pietas. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Deus Pater omnipotens.

Ex B. Eulogio in Memoriali Sanct. lib. 3. *cap.* 15.

Lectio jv.

SÆviente Arabum adversús Christianos crudelitate, impia quotidié promulgabantur edicta, quibus ergastula, fortunarum amissio, verbera, mors deniqué ipsa iis decernebatur, qui aut contaminatam suæ legis superstitionem, aut Vatem suum maledictis incesserent. Rex enim Mahomat, adepto patris imperio, confestim in promptum odium contra nos prorumpens ipso die, quo solium regnaturus ascendit, Christianos, qui sibi inservire soliti erant, omnes palatio abdicans, indignos Aulæ principali ministerio promulgavit.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et æternitas temporum, alleluia, alleluia. ℣. Lætitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Et æternitas. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Lectio v.

DEindé non longo post intervallo eos sub tributario censu præscribens, plures præmio regali privavit, qui dudum militaribus vescebantur annonis. Illis autem per idem tempus gubernacula urbis committit, qui consimili zelo perversitatis adversus Dei populum laborantes, eos ubiqué affligerent, & opprimerent: ut non solúm Vatem suum nullatenùs infamare præsumerent, verúm etiam terroribus compulsi ad nefaria sua sacra transirent.

℟. In servis suis, alleluia, * Consolabitur Deus, alleluia. ℣. Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis. Consolabitur. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

Lectio vj.

HAc igitur de causa, apud Judices accusati Helias Presbyter jam senex ex Provincia Lusitania, & cum eo Paulus, & Isidorus Monachi juvenili ætate florentes, in fidei professione, & Mahumetici erroris detestatione perempti sunt, anno Domini octingentesimo quinquagesimo septimo, Aprilis die decima septima. Quorum corpora patibulis affixa post multos dies Bœtico sinu conduntur.

℟. Filiæ Jerusalem, venite & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus; * In die solemnitatis & lætitiæ, alleluia. ℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die solemnitatis. Gloria Patri. In die solemnitatis.

In tertio Nocturno,

Aña. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & æternitas temporum, alleluia.

Psalm. Exultate justi. Benedicam Dominum. Deus noster refugium. *pag.* 10.

℣. Lætitia sempiterna super capita eorum, alleluia. ℟. Gaudium, & exultationem obtinebunt, alleluia. Pater noster. *Absolutio.* A vinculis. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundúm Joannem.

Lectio vij. *Cap.* 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Et reliq.

Ho-

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 81. *in Joan. sub med.*

NE quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse á semetipso palmitem ferre: cum dixisset, Hic fert fructum multum; non ait, Quia sine me parum potestis facere, sed, Nihil potestis facere. Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest; quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola, ut plus afferat. Tamen nisi in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum á semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset: tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset.

℟. Ego sum vitis vera, & vos palmites, * Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. ℣. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Qui manet. *Benedictio.* Cujus, *vel* Quorum festum colimus.

Lectio. viij.

VErúm quia ita sine ista gratia non potest vivi, ut & mors in potestate sit liberi arbitrii: Si quis in me, inquit, non manserit; mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora si in vite non manserint, quantó gloriosiora si manserint. Denique sicut de his etiam per Ezechiêlem Prophetam Dominus dicit, præcisa nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur. Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit.

℟. Candidi facti sunt Nazaræi ejus, alleluia: splendorem Deo dederunt, alleluia: * Et sicut lac coagulati sunt, alleluia, alleluia. ℣. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Et sicut. Gloria Patri. Et sicut. *Benedictio.* Ad societatem.

Lectio ix.

SI manseritis in me, inquit, & verba mea in vobis manserint; quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Manendo quippe in Christo, quid velle possunt, nisi quod convenit Christo? Quid velle possunt manendo in salvatore, nisi quod non est alienum á salute? Aliud quippe volumus quia sumus in Christo; & aliud volumus quia sumus adhuc in hoc sæculo. De mansione namque hujus sæculi nobis aliquando subrepit, ut hoc petamus, quod nobis non expe-

expedire nescimus. Sed absit ut fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit quando petimus, nisi quod expedit nobis.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

AD LAUDES,

& per Horas, Aña.

SAncti tui Domine florebunt sicut lilium, alleluia: & sicut odor balsami erunt ante te, alleluia. *Psalm.* Dominus regnavit, *cum reliquis*, *pag.* 15.

Aña. In cœlestibus regnis sanctorum habitatio est, alleluia, & in æternum requies eorum, alleluia. *Aña.* In velamento clamabant sancti tui, Domine, alleluia, alleluia, alleluia. *Aña.* Spiritus & animæ justorum hymnum dicite Deo nostro, alleluia, alleluia. *Aña.* Fulgebunt justi sicut Sol in conspectu Dei, alleluia.

Capitulum. *Sap.* 5.

STabunt justi in magna constantia edversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.

Hymnus.

REX gloriose Martyrum, *pag.* 18.

℣. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. ℟. Mors sanctorum ejus, alleluia.

Ad Benedictus.

Aña. Filiæ Jerusalem, venite & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die solemnitatis & lætitiæ, alleluia, alleluia.

Oratio.

COncede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Beatorum Martyrum tuorum Heliæ, Pauli, & Isidori meritis, & intercessione á nostris reatibus absoluti, á gehennæ incendiis liberemur. Per Dominum.

Ad Tertiam, Aña. In cœlestibus, regnis. *Capitulum* Stabunt justi, *ut supr.*

℟. *brev.* Sancti & justi in Domino gaudete, * Alleluia, alleluia. Sancti & justi. ℣. Vos elegit Deus in hereditatem sibi. Alleluia, alleluia. Gloria. Sancti & justi. ℣. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, alleluia. ℟. Et æternitas temporum, alleluia.

Ad Sextam, Aña. In velamento.

Capitulum. *Sap.* 5.

ECce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

℟. *brev.* Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine; * Alleluia, alleluia. Lux perpetua. ℣. Et æternitas temporum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Lux perpetua. ℣ Lætitia sempiterna super capita eorum, alleluia. ℟. Gaudium & exultationem obtinebunt, alleluia.

Ad Nonam, Aña. Fulgebunt justi.

Ca-

Capitulum. *Rom. 8. c*

SCimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti.

℟. *brev.* Lætitia sempiterna super capita eorum: * Alleluia, alleluia. Lætitia. ℣. Gaudium & exultationem obtinebunt. Alleluia, alleluia. Gloria Patri Lætitia. ℣. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. ℟. Mors sanctorum ejus, alleluia.

Ad Vesperas,

Aña. Sancti tui Domine, *cum reliq. pag.* 100. *Psalm.* Dixit Dominus, *cum reliq. pag.* 1. *& loco ultim. Psalm.* Credidi, *p.* 29. *Capitulum.* Stabunt justi, *p.* 100. *Hymnus.* Rex gloriose Martyrum, *pag.* 18.

℣. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia.

℟. Mors sanctorum ejus, alleluia.

Ad Magnificat,

Aña. Sancti & justi in Domino gaudete, alleluia: vos elegit Deus in hereditatem sibi, alleluia.

DIE XVIII. APRILIS.

In festo S. Perfecti Mart. Dup.

Ad Vesperas, Antiph. Psalm. Cap. Vers. & Aña. ad Magnificat ut in festo SS. Heliæ, pag. 96. præter ea, quæ hic apponuntur propria.

Hymnus.

DEus tuorum militum, *ut in fest. S. Eulogii, pag.* 56. *Ultim.* ℣. Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui amortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

Oratio.

MAjestatem tuam Domine supplices exoramus, ut Beati Perfecti Martyris tui precibus, & meritis indulgentiam nobis tribuas placatus, & pacem. Per Dominum.

Ad Matutinum Invitat.

Exultent in Domino sancti, * Alleluia. *Psalm.* Venite exultemus, *pag.* 4.

Hymnus Deus tuorum, *ut supr.*

In primo Noct. Aña: Psalm. Vers. & Respons. ut in festo SS. Heliæ, & Soc. pag. 96. Cum lect. de Script. occurrent.

In secundo Nocturno,

Aña. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est, alleluia.

Sub una Aña. Psalm. Cum invocarem. Verba mea. Domine Dominus noster *pag.* 60.

℣. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, alleluia. ℟. Et æternitas temporum, alleluia. Pater noster. *Absolutio.* Ipsius pietas. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Deus Pater omnipotens.

Ex-



Ex B. Eulogio in Memoriali Ss. lib. 2. cap. 1. & aliis locis.

Lectio jv.

VEnerabilis memoriæ Perfectus Presbyter Cordubensis in Æde sancti Aciscli clara eruditione nutritus, & Ecclesiasticis disciplinis plenissimé imbutus, nec non linguę Arabicæ doctus, totam pené juventutem in prædicto transegit cœnobio. Ex quo cum aliquandó rei familiaris causa digressus, urbem obiret, quorundam sciscitationibus Arabum suum de Christo, & Mahumeto testimonium proferre jubetur. Cúm ille turpissimum, & contaminatissimum Pseudoprophetam ex ejus doctrina, & moribus impurissimis ostendisset, abire permittitur: accensum tamen ultionis furorem in corde ad perniciem ejus reponunt.

℞. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et æternitas temporum, alleluia, alleluia. ℣. Letitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Et æternitas. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Extra temp. Pasch. ℞. Honestum, *pag.* 62.

Lectio v.

REedeuntem posteá velut apes stimulatæ circunstant, sublime rapiunt, & apud Judicem spreti sui Vatis, & religionis accusant. Judex illum vinculis onerat, & proximis Paschalibus suis feriis devovet jugulandum, tamquam victimam suo Vati gratissimam. Ille reorum specum, quasi ad epulas invitatus, ingreditur, & vigiliis, orationibus, atque jejuniis ad ea, quæ diligentibus Deum promissa sunt præmia, futurus Martyr aptatur. Dies autem ubi festus illuxit, de carcere eductum, gladio vindice trucidarunt, confitentem Christum, in gloria Deitatis manentem, & Ecclesiæ Catholicæ inimicum liberis vocibus exprobrantem. Deindé ad nefaria sacra illita innocenti cruore vestigia retulerunt.

℞. In servis suis, alleluia, * Consolabitur Deus, alleluia. ℣. Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis. Consolabitur. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

Extra temp. Pasch. ℞. Desiderium, *pag.* 62.

Lectio vj.

SEd hujus impietatis Judex non admodum seró pœnas dedit. Nam cum Beatus Perfectus in vinculis teneretur, prophetico affiatus spiritu fertur prædixisse, futurum, ut ipsum diem, quo se posterni decreturus erat, non attingeret. Prædictionem comprobavit eventus;

tus; nam ante anni ejusdem exitum exustis miseri ignita febri visceribus, fædéque, ad instar Arii hæretici, effusis, contaminatam quoqué animam vomuit, æternis ignibus concremandam. Beatus autem Perfectus in Æde Sancti Aciscli sepultus, miré nostrorum pietatem accendit: hostium verò contumaciam fregit. Consummavit agonem suum anno Domini octingentesimo quinquagesimo, Aprilis die decima octava.

℟. Filiæ Jerusalem, venite & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, * In die solemnitatis & lætitiæ, alleluia. ℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die solemnitatis. Gloria Patri. In die solemnitatis.

Extra temp. Pasch. ℟. Stola jucunditatis, *pag.* 63.

In tertio Nocturno,

Aña. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & æternitas temporum alleluia.

Psalm. In Domino confido. Domine, quis habitabit. Domine in virtute tua, *pag.* 63.

℣. Letitia sempiterna super capita eorum, alleluia. ℟. Gaudium & exultationem obtinebunt, alleluia. Pater noster. *Absolutio.* A vinculis. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Evangelica lectio.

Lectio sancti Evangelii secundúm Joannem.

Lectio vij. *Cap.* 15.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tractatu 80. *in Joannem.*

ISte locus Evangelicus, fratres ubi se dicit Dominus vitem, & discipulos suos palmites, secundúm hoc dicit, quod est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus, mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Unius quippe naturæ sunt vitis & palmites. Propter quod cum esset Deus, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus & nos homines palmites esse possemus.

℟. Ego sum vitis vera, & vos palmites: * Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. ℣. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Qui manet. *Benedictio.* Cujus, *vel* Quorum festum colimus.

Extra temp. Pasch. ℟. Corona aurea.

Lectio viij.

QUid ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid ut adde-

deret, vera, hoc ad eam vitem retulit, unde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem: quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cetera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates. Sed cúm dicit, Ego sum vitis vera; ab illa se utique discernit, cui dicitur: Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est ut faceret uvam, fecit autem spinas?

℟ Candidi facti sunt Nazaræi ejus, alleluia: splendorem Deo dederunt, alleluia: * Et sicut lac coagulati sunt, alleluia, alleluia. ℣. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Et sicut. Gloria Patri. Et sicut. *Benedictio.* Ad societatem.

Extra temp. Pasch. ℟. Hic est veré Martyr.

Lectio ix.

EGO sum, inquit, vitis vera: & Pater meus agricola est. Numquid unum sunt agricola & vitis? Secundúm hoc ergo vitis Christus, secundúm quod ait: Pater major me est. Secundúm autem id quod ait; Ego & Pater unum sumus; & ipse agricola est: nec talis, quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium: sed talis, ut det etiam intrinsecus incrementum. Nam neque, qui plantat, est aliquid, neque, qui rigat; sed, qui incrementum dat, Deus. Sed utique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum: unde ipse & Pater unum sunt: & si Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

Extra temp. Pasch. dicitur Homilia super Evang. Nolite arbitrari, *ut in festo S. Eulogii*, *pag.* 65.

Ad Laudes, & per Horas omnia ut in festo S. Eulogii, ibid.

Hymnus.

INvicte Martyr, unicum
Patris secutus filium,
Victis triumphas hostibus,
Victor fruens cœlestibus.

Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitæ repellens tædium.

Soluta sunt jam vincula
Tui sacrati corporis:
Nos solve vinclis sæculi
Dono superni Numinis.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui á mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

Oratio.

MAjestatem tuam Domine supplices exoramus, ut Bea-

Beati Perfecti Martyris tui precibus, & meritis indulgentiam nobis tribuas placatus, & pacem. Per Dominum.

Ad Vesperas, Antiph. Psalm. Vers. & Aña. Ad Magnificat, ut in festo Ss. Heliæ, pag. 96.

Hymnus Deus tuorum militum, *ut in prim. Vesp.*

DIE XXX. APRILIS.

In festo Ss. Amatoris, Petri, & Ludovici Mart. Dup.

Omnia de communi Mart. tempore Paschali, ut in festo Ss. Hæliæ, pag. 96. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui nos annua, sanctorum Martyrum tuorum Amatoris, Petri, & Ludovici solemnitate lætificas: concede propitius; ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum nostrum.

Lectiones primi Nocturno de Script. occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex D. Eulogio in Memeriali Ss. lib. 3. cap. 13.

Lectio iv.

AMator Presbyter, qui ex oppido Tuccitano Cordubam cum parente, ac fratribus discendi gratiá venerat, & Petrus Monachus: ac Ludovicus Pauli Diaconi, & Martyris frater, ex civibus Cordubensibus orti, uno se fœdere colligantes, ad prædicandam evangelicam veritatem aptarunt. Ideoque celeritér ab hostibus interfecti, & in flumen injecti sunt, anno Domini octingentesimo quinquagesimo quinto, Aprilis die trigesimo. Post aliquot autem dies ad ripam Bœtis inventi; Beatus Petrus in Pinnæ Mellariensis Cœnobio; Beatus veró Ludovicus Palmæ oppido nobili sepelitur: Sanctus veró Amator ubi requiescat ignoratur.

℞. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et æternitas temporum, alleluia, alleluia. ℣. Lętitia sempiterna erit super capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt. Et ęternitas.

Benedictio. Christus perpetuæ.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi. Serm. 74.

Lectio v.

DIgnum, & congruum est, fratres; ut post lætitiam Paschæ, quam in Ecclesia celebravimus, gaudia nostra cum sanctis Martyribus conferamus: & iis annuntiemus Dominicæ resurrectionis gloriam, qui consortes sunt Dominicæ passionis. Qui enim socii sunt contumelię, debent & participes esse lætitiæ. Itá enim dicit beatus Apos-

tolus: Sicut socii passionum estis, & resurrectionis eritis: si tolerabimus, inquit, & conregnabimus. Qui ergo toleraverunt mala propter Christum, debent & gloriam habere cum Christo.

℟. In servis suis, alleluia: * Consolabitur Deus, alleluia. ℣. Judicabit Dominus populum, suum, & in servis suis. Consolabitur. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

Lectio vj.

ANnuntiemus, inquam, sanctis Martyribus Dominicæ Paschæ gratiam: ut, dum sepulturæ illius prædicamus reserata claustra, & horum sepulchra reserentur: dum corpus illius mortuum dicimus tepentibus venis subitó viguisse; horum quoqué membra jam frigida immortalitatis calore foveantur. Eadem enim ratio Martyres suscitat, quæ & Dominum suscitavit. Nam sicut viam passionis ejus experti sunt, ità experientur, & vitæ. Scriptum est enim in Psalmo: Notas mihi fecisti vias vitæ. Hoc utique in resurrectione ex persona dicitur Salvatoris; ut qui, dum post mortem ab inferis redit ad superos, incipiat notam habere viam vitę, quæ anté habebatur ignota.

℟. Filiæ Jerusalem, venite & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, * In die solemnitatis & lætitiæ, alleluia. ℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die solemnitatis. Gloria Patri. In die solemnitatis

In tertio Nocturno.

Homilia super Evangelium: Ego sum vitis, vos palmites, *ut pag.* 98.

FESTA MAII.

DIE VII.

In festo S. Raphaelis Archangeli, Custodis civitatis Cordubensis, Dup. maj.

Ad Vesperas.

Aña. In conspectu gloriæ, *cum reliquis de Laudibus, Psalm. ut in festo S. Angeli Custodis, pag.* 42.

Capitulum. *Tobiæ* 12.

QUando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Dño. ℟. Deo gratias.

Hymnus.

CHriste Sanctorum decus Angelorum,
Rector humani generis, & auctor.
Nobis sacratum tribue benignus
Scandere cœlum.
Angelum nobis medicum salutis
Mitte de cœlis Raphael, ut omnes

Sa-

Sanet ægrotos, pariterque nostros
Dirigat actus.
Hinc Dei nostri genitrix Maria,
Totus & nobis Chorus Angelorum
Semper assistat, simul & beata
Concio tota.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

℣. Præcinctus Raphael intravit in domum Tobiæ. Alleluia. ℟. Et cum gaudio salutavit eum. Alleluia.

Ad Magnificat,

Aña. Ingressus Raphael Archangelus ad Tobiam salutavit eum, dicens: Gaudium tibi sit semper. Cui Tobias ait: Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Cui Angelus ait: Forti animo esto, in proximo est, ut à Domino cureris. Alleluia.

Oratio.

DEus, qui Beatum Raphaelem Archangelum Tobiæ famulo tuo iter properanti prævium direxisti, & inter hujus viæ, ac vitæ varietates, atque discrimina donasti custodem; da quæsumus: ut ejusdem semper protegamur auxilio, quatenús vitæ præsentis vitemus pericula, & ad gaudia valeamus pervenire cœlestia Per. Dominum nostrum.

Ad Matutin. Invitator.

Regem Archangelorum Dominum. * Venite adoremus. Allel. Venite exultemus, *pag.* 4.

Hymnus.

Christe sanctorum, *ut suprá in Vesper.*

In primo Nocturno.

Aña. Ingressus Tobias invenit juvenem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum, & ignorans, quód Angelus esset, salutavit eum. Allel.

Psalmus. Domine Dominus noster, *cum reliquis ut in festo S. Gabrielis, pag.* 84. *qui dicuntur sub unica Aña.*

Extra tempus Pascha. Aña. 2. Angelus Raphael seipsum occultans, ait: Ego sum Azarias magni Ananiæ filius.

Aña. 3. Sanum ducam filium tuum, in regionem Medorum, & sanum tibi reducam, alleluia.

℣. Præcinctus Raphael intravit in domum Tobiæ Allel. ℟. Et cum gaudio salutavit eum. Alleluia.

Cum ex privilegio fiat hoc Officium semiduplex in qualibet prima die non impedita cujuslibet mensis, lectiones 1. *Noct. legantur de Script. occurrente.*

De Libro Tobiæ.

Lectio j. *Cap.* 4. *&* 5.

TObias vocavit ad se Tobiam filium suum, dixitque ei: In-

Indico tibi fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus esses, Gabelo in Rages civitate Medorum, & chirographum ejus apud me habeo, & ideo perquire, quomodó ad eum pervenias, & recipias ab eo supramemoratum pondus argenti, & restituas ei chirographum suum. Perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum, salva mercede sua: ut, dum adhuc vivo, recipias eam. Tunc egressus Tobias, invenit juvenem splendidum stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum; & ignorans, quòd Angelus Dei esset, salutavit eum, & dixit: Unde te habemus, bone juvenis? At ille respondit: Ex filiis Israêl. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regionem Medorum? Cui respondit: Novi, & omnia itinera ejus frequenter ambulavi, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbatanis. Cui Tobias ait: Sustine me, obsecro, donec hæc ipsa nuntiem patri meo.

℟. Peto Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me; aut certé desuper terram eripias me. * Ne reminiscaris Domine delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis, quia eruis sustinentes te. Allel. ℣. Omnia judicia tua justa sunt, & omnes vię tuæ misericordia, & veritas. Nunc Domine memento mei. Ne reminiscaris.

Lectio ij. *Cap.* 5.

TUnc ingressus Tobias indicavit universa hæc patri suo. Super quę admiratus pater rogavit, ut introiret ad eum. Ingressus itaque salutavit eum, & dixit: Gaudium tibi sit semper. Et ait Tobias: Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Cui ait juvenis: Forti animo esto, in proximo est, ut á Deo cureris. Dixit itaque illi Tobias: Nunquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitatem Medorum, & cum redieris restituam tibi mercedem tuam? Et dixit ei Angelus: Ego ducam, & reducam eum ad te. Cui Tobias respondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu? Cui Raphael Angelus dixit: Genus quæris mercenarii, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Sed ne forte solicitum te reddam: Ego sum Azarias, Ananię magni filius. Et Tobias respondit: Ex magno genere es tu. Sed peto, ne irascaris, quód voluerim cognoscere genus tuum. Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum. Respondens autem

To-

Tobias ait: Bené ambuletis, & sit Deus in itinere vestro, & Angelus ejus comitetur vobiscum. Tunc paratis omnibus, quę erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo, & matri suæ, & ambulaverunt ambo simul.

℟. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat. * Et omni tempore consilia tua in ipso permaneant. Allel. ℣. Inquire, ut facias, quæ placita sunt illi in veritate, & in tota virtute. Et omni.

Lectio iij. *Cap.* 6.

PRofectus est autem Tobias, & canis secutus est eum, & mansit prima mansione juxtá fluvium Tigris. Et exivit, ut lavaret pedes suos, & ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobias, clamavit voce magna, dicens: Domine invadit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccúm & palpitare cœpit anté pedes ejus. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter. Quod cùm fecisset, assavit carnes ejus, & secum tulerunt in via: cetera salierunt, quæ sufficerent eis, quousqué pervenirent in Rages civitatem Medorum.

℟. Memor esto fili, quoniam pauperum vitam gerimus. * Habebis multa bona, si timueris Deum. Allel. ℣. Fiducia magna erit coram summo Deo eleëmosyna omnibus, qui faciunt eam. Habebis. Gloria. Habebis.

In secundo Nocturno.

Aña Dixit autem Angelus: Apprehende branchiam piscis, & trahe eum extra aquas. Allel.

Psalm. Cœli enarrant, *ut in fest. S. Gabrielis. pag.* 87. *qui dicuntur sub unica Aña.*

Extra tempus Pasch. Aña. 2. Obsecro te Azaria frater, ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare jussisti.

Aña. 3. Lumina fel sanat; sed virtus cordis, & jecoris, diaboli expellit potestatem.

℟. Missus est á Domino Raphael Angelus. Allel. ℣. Ut sanaret Tobiam, & Saram. Allel.

Sermo S. Gregorii Papæ ex Homil. 34. *in Evangel.*

Lectio jv.

NOvem Angelorum ordines esse, testante sacro eloquio, scimus: Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Namque Angelos, & Archangelos pené omnes sacri eloquii paginæ testantur. Cherubim veró, atque Seraphim sæpé, ut no-

notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios enumerat, dicens: Suprá omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem. Qui rursùs ad Colossenses scribens ait: Sivé Throni, sivé Dominationes, sivé Principatus, sivé Potestates. Dum ergo illis quatuor, quæ ad Ephesios dixit, conjunguntur Throni, quinque sunt ordines; quibus dum Angeli, Archangeli, Cherubim, atque Seraphim adjuncti sunt, proculdubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur.

℟. Tempus est, ut revertar ad eum, qui misit me: vos autem benedicite Deum. * Et narrate omnia mirabilia ejus. Allel. ℣. Corám omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam. Et narrate.

Lectio v.

Sciendum quoque, quód Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquám possunt; quia tunc solúm sunt Angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Undé, & in Psalmo dicitur: Qui facit Angelos suos spiritus. Ac si patenter dicat: Qui eos, quos semper habet spiritus, etiam cúm voluerit, Angelos facit. Hi autem, qui minima nuntiant Angeli, qui verò summa, Archangeli vocantur. Hinc est enim, quod ad Mariam Virginem non quilibet Angelus, sed Gabriel Archangelus mittitur; ad hoc quippé ministerium summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium annuntiabat. Qui idcircó etiam privatis nominibus censentur, ut signetur per vocabula etiam in operatione, quid valeant. Michael namque: Quis ut Deus? Gabriel autem: Fortitudo Dei. Raphael verò dicitur Medicina Dei.

℟. Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiæ computarentur, numquám fuisset pecunia ipsa, pro qua misimus filium nostrum. * Baculum senectutis nostræ. Allel. ℣. Heu mi fili, ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum. Baculum.

Lectio vj.

Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, ut ex ipso actu, & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere, quod facere prævalet Deus. Undé & ille antiquus hostis, qui Deo esse per superbiam similis concupivit, dicens: In cœlum conscendam, suprá astrá cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo:

mo: dum in fine mundi in sua virtute relinquetur, extremo supplicio perimendus, cum Michaele Archangelo præliaturus esse perhibetur, sicut per Joannem dicitur: Factum est prælium cum Michaele Archangelo. Ad Mariam quoqué Gabriel mittitur, qui Dei Fortitudo nominatur. Illum quippé nuntiare veniebat, qui ad debellandas aëreas potestates humilis apparere dignatus est. Raphael quoqué interpretatur, ut diximus, Medicina Dei, quia dum Tobiæ oculos quasi per officium curationis tetigit, cæcitatis illius tenebras tersit.

℟. Benedicite Deum cœli, & corám omnibus viventibus confitemini ei. * Quia fecit vobiscum misericordiam suam. Allel. ℣. Ipsum benedicite, & cantate illi, & enarrate omnia mirabilia ejus. Quia. Gloria. Quia.

In tertio Nocturno.

Aña. Est hic Sara Raguelis filia, quæ tibi conjugio dabitur, & omnis substantia ejus. Alleluia. Cantate Domino, *ut in festo S. Gabrielis*, *pag.* 90. *qui dicuntur sub unica Aña.*

Extra tempus Pasch. Aña. 2. Septem viros habuit, quos dœmonium oppressit: timeo, ne mihi simile contingat.

Aña. 3. Per tres dies Orationi cum uxore tua vacabis, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. Allel. ℟. Et adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Allel.

Lectio sancti Evangelii secundùm Joannem.

Lectio vij. *Cap.* 5.

IN illo tempore: Erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 17. *in cap.* 5. *Joannis.*

MIrum non esse debet á Deo factum miraculum: mirum enim esset, si homo fecisset. Magis gaudere, quám mirari debemus: quia Dominus noster, & Salvator Jesus Christus, homo factus est; quám quod Divina inter homines Deus fecit. Plus est enim ad salutem nostram, quòd factus est propter homines, quám quód fecit inter homines; & plus est, quod vitia sanavit animarum, quám quód sanavit languores corporum moriturorum.

℟. In conspectu gentium nolite timere: vos enim in cordibus vestris adorate, & timete Deum. * Angelus enim ejus vobiscum est. Allel. ℣. Cantate ei canticum novum, & bene

né psallite ei in vociferatione. Angelus.

Lectio viij.

SED quia ipsa anima nec eum noverat, á quo sananda erat, & oculos habebat in carne, unde facta corporalia videret: nondum habebat sanos in corde, unde Deum latentem agnosceret. Fecit, quód videri poterat, ut sanaretur; unde videri non poterat. Ingressus est locum, ubi jacebat magna multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.

℞. Te Sanctum Dominum in excelsis laudant omnes Angeli dicentes: * Te decet laus, & honor Domine. Allel. ℣. Cherubim quoqué, & Seraphim Sanctus proclamant; & omnis cœlicus ordo dicentes. Te decet. Gloria. Te decet.

Lectio ix.

ET cúm esset Medicus & animarum, & corporum, & qui venisset sanare omnes animas crediturorum: de illis languentibus unum elegit, quem sanaret, ut unitatem significaret. Si mediocri corde, & quasi humano captu, & ingenio consideremus facientem, & quòd ad potestatem pertinet, non magnum aliquid perfecit: & quóád benignitatem, parúm fecit. Tot jacebant, & unus curatus est: cùm posset uno verbo omnes erigere.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

AD LAUDES,

& per Horas, Aña.

IN conspectu gloriæ summi Dei exauditæ sunt preces Tobiæ, & Saræ, & missus est Angelus Domini Sanctus Raphael; ut sanaret eos. Allel.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis*, *pag.* 15.

Aña. Apprehendens Raguel dexteram filię suæ, dexterę Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob sit vobiscum, & ipse vos conjungat, impleatque suàm benedictionem in vobis. Allel.

Aña. Recordatus Tobias sermonum Raphaelis, posuit partem jecoris super carbones vivos. Allel.

Aña. Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & ligavit in deserto superioris Ægypti. Alleluia.

Aña. Audiens Raguel, quód Tobias gener ejus viveret, benedixit Dominum cum Anna uxore sua. Allel.

Capitulum. *Tob.* 12

QUando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. ℞. Deo gratias.

Hymnus.

TIbi Christe, splendor Patris,
Vita virtus cordium,
In conspectu Angelorum
Vo-

Votis voce psallimus
Alternantes concrepando,
Melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes
Omnes cœli Principes,
Sed præcipué fidelem
Medicum, & comitem
Raphaelem, in virtute
Alligantem dæmonem.
Quo custode procul pelle,
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici
Mundo corde, & corpore,
Paradyso redde tuo
Nos sola clementia.
Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus:
Gloriam Christo canamus,
Gloriam Paraclito,
Qui Trinus, & unus Deus
Extat ante sæcula. Amen.

℣. Unus ex septem est Raphael. Allel. ℟. Qui assistunt ante Dominum. Allel.

Ad Benedictus,

Aña. De felle piscis linivit Tobias oculos patris sui; statimque visum recepit. Alleluia.

Oratio.

DEus, qui Beatum Raphaelem Archangelum Tobiæ famulo tuo iter properanti prævium direxisti; & inter hujus viæ, ac vitę varietates, atque discrimina donasti custodem: da quæsumus; ut ejusdem semper protegamur auxilio, quatenús vitæ præsentis vitemus pericula, & ad gaudia valeamus pervenire cœlestia. Per Dominum nostrum.

In Offic. semidup. (ex privileg.) dicuntur suffrag. Sanctorum.

Ad Tertiam, *Aña*. Aprehendens.

Capitulum. Quando orabas, *ut suprá*, *pag.* 112.

℟. *brev.* Præcinctus Raphael intravit in domum Tobiæ. Allel. allel. Præcinctus. ℣. Et cum gaudio salutavit eum. Allel. allel. Gloria. Præcinctus. ℣. Missus est á Domino Raphael Angelus. Allel. ℟. Ut sanaret Tobiam, & Saram. Allel.

Ad Sextam, *Aña*. Recordatus Tobias.

Capitulum. *Tob. cap.* 12.

NUnc autem misit me Dominus, ut curarem te, & Saram uxorem filii tui á dæmonio liberarem.

℟. *brev.* Missus est á Domino Raphael Angelus. Allel. Allel. Missus. ℣. Ut sanaret Tobiam, & Saram. Allel. allel. Gloria. Missus. ℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. Allel. ℟. Et adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Alleluia.

Ad Nonam, *Aña*. Audiens Raguel.

Capitulum. *Tob. cap.* 12.

TEmpus est, ut revertar ad eum, qui me misit, vos autem benedicite Dominum, & enarrate omnia mirabilia ejus.

℟. *brev.* In conspectu Angelo-

lorum, psallam tibi Deus meus. Allel. allel. In conspectu. ℣. Et adorabo ad Templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Allel. allel. Gloria. In conspectu. ℣. Unus ex septem est Raphael. Allel. ℟. Qui assistunt ante Dominum. Allel.

In secundis Vesperis,

Omnia ut in primis, & loco ultimi dicitur Psalm. Confitebor tibi Domine, *pag.* 55. *A Cap. fit de Apparit. S. Michael. & com. S. Raphaelis.*

Aña. Ego sum Raphael unus ex septem, qui astamus ante Dominum, & cum hoc dixisset, ablatus est ab aspectu eorum. Allel.

℣. Præcinctus Raphael intravit in domum Tobiæ. Allel. ℟. Et cum gaudio salutavit eum. Allel.

Oratio.

Deus qui Beatum, *ut suprá in Laud.*

DIE XVIII. MAII.

Dedicatio Ecclesiæ Matricis Cordubensis, duplex 1. *class. & habet Octavam. Omnia sicut in communi Dedicationis Ecclesiæ, præter sequentia.*

Si hoc festum venerit tempore Paschali, additur Alleluia Añis., Invitator., Responsoriis Matutinorum, & brevibus, ac versiculis: & tres Psalmi cujuscumque Nocturni dicuntur sub prima Aña. illius Noct.

In secundo Nocturno.

Ex Chronico Ruderici Archiepiscopi Toletani.

Lectio iv.

Alfonsus Rex Hispaniæ cognominatus Imperator præstantem adiit Cordubam civitatem exercitu magno undiqué coacto; sed Rex Cordubensis Abengamia illius exercitum timens, & potestatem neque resistere valens, Imperium Alfonso tradidit civitatis. Ingressus Imperator nobilissimam urbem, jussit Mezquitam Majorem rebus sacris faciendis quám citissimé consecrari. Mundavit Mezquitam Raimundus Archiepiscopus Toletanus, in qua sacra solemnia Catholico ritu sunt celebrata. Cùmque necessario cogeretur á civitate discedere Imperator Alfonsus, malé persuasus civitatis custodiam eidem Abengamię Regi, homagio recepto, commissit gubernandam. Qui vir, Rege discedente, fidem fregit, & Cordubam suo sibi retinuit Imperio.

℟. Orantibus in loco isto, * Dimitte peccata populi tui Deus, & ostende eis viam bonam, per quam ambulent, & da gloriam in loco isto. ℣. Qui regis Israêl intende, qui deducis velut ovem Joseph, qui sedes super Cherubim. Dimitte. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Lec-

Lectio v.

MAnsit autem Corduba ex eo tempore sub Saracenorum sceptro usque ad Regis Ferdinandi Tertii tempus; quo Rege cum Seraceni proceres Cordubenses pervicaciter popularibus injuriam irrogarent, eosdem populares fecerunt sibi graviter infensos; qui pactione cum Christianis facta, aditum illis urbis capiendæ promiserunt. Quam Christiani læti suscipientes vigesima quarta die mensis Januarii sub obscuro noctis silentio urbem ipsam invadunt; & dormientibus custodibus, scalis admotis, eam ingrediuntur; eaque urbis parte quæ Axerquia vocatur, occisis Maurorum præsidiis, potiuntur: ubi civium incursionibus resistendo, turres adversùs eos fortiús munierunt. Ferdinandus Rex per literas certior factus, vocatis regni proceribus, & populorum totius Castellæ, atque Legionis militibus auxiliariis, Christianis daturus suppetias pro tempore, brevi militum manu Cordubam advenit, etsi imbrium, & amnium impedimento aliquantulúm remoratus. Ubi expectato, collectoque exercitu, ita coarctavit urbis ambitum, ut Mauros in sui deditionem coegerit devenire. Qui salvis corporibus, civitatem deseruere, porsùs Regi Ferdinando cedentes.

℟. O quám metuendus est locus iste: * Veré non est híc aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. ℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bené fundata est supra firmam petram. Veré. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

Lectio vj.

IGitur anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto, vigesima nona die Junii in solemnitate Apostolorum Petri, & Pauli civitas ipsa Cordubensis regia nimirúm, & Patricia, sese Regi præclaro tradidit possidendam, Rex eo die Mezquitam Majorem, quæ cunctas Saracenorum, atque Arabum ornatu, & magnitudine superabat, in honorem Deiparæ Virginis Mariæ dicari Deo sanctissimé constituit. Præerat tunc Ecclesiæ Toletanæ Rudericus Archiepiscopus, qui apud Sedem Apostolicam eo tempore morabatur, cujus vicem gerebat Joannes Episcopus Oxomensis, Regius Cancellarius, qui prædictam Mezquitam aqua benedicta mundavit, eliminata Mahometi spurcitia, præsentibus Gundisalvo Conchensi, Dominico Beatiensi, Adamo Placentino, & Sanctio Cauriensi Episcopis Regem ad bella sequentibus.

℟. Mané surgens Jacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desupér, votum vovit Domino; * Veré locus iste san-

sanctus est, & ego nesciebam. ℣. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait. Veré. Gloria Patri. Veré.

DIE XXI. MAII.

In festo S. Secundini Mart. Dup.

Omnia de com. Mart. temp. Pasch. ut in festo Ss. Heliæ, & Soc. pag. 96. præter hæc, quæ sequuntur.

Oratio.

PRæsta quæsumus, omnipotens Deus: ut qui beati Secundini Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Martyrologiis, & Hispaniæ Sanctoralibus.

Lectio iv.

CUM funestis æqué, atque sacrilegis Imperatorum edictis Christi fideles ubique gentium configerentur; Hispania nostra & numero, & dignitate Martyrum maximé floruit. Et Bœtica imprimis Provincia, & ejus caput Corduba Colonia Patricia ingentem virorum paritér, atque fœminarum copiam tulit, qui solum nostrum suo sanguine consecrarunt. Inter quos beatus Secundinus per varias certaminum vices, superata adversarii nequitia, demùm palmam tulit in persecutione Diocletiani anno Domini tercentesimo sexto. Cujus martyrii series oblivione hominum, & injuria temporum obliterata, vivit tamen in memoria æterna: ubi justi ab oblivione mala timere non possunt.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et æternitas temporum, alleluia. alleluia. ℣. Lętitia sempiterna erit super capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt. Et æternitas. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Lect. v. *&* vj. *erunt ex sermone sancti Ambrosii:* Dignum, & congruum, *ut in pag.* 105.

In tertio Nocturno.

Evangel. Ego sum vitis vera, *de com. Martyr. temp. Paschal. ut in festo S. Perfecti, pag.* 103.

Extra temp. Pasch. Homil. Nolite arbitrari, *pag.* 64.

FESTA JUNII.

DIE III.

In festo S. Isaac Mart. Dup.

Omnia de com. Mart. temp. Pasch. ut in festo SS. Heliæ, & Soc. pag. 96 *præter hæc, quæ sequuntur propria.*

Oratio.

PReces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi, ut qui Beati Isaac Martyris tui nata-

natalitia colimus, & annua solemnitate lætemur, & ejus pro nobis apud te perpetuó patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,
Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.
Ex D. Eulogio in præfatione ad Memor. Sanct.

Lectio iv.

INter eos, qui Cordubæ sub Arabum imperio vitam pro Christo fuderunt, haud dubié principatum obtinet sanctus Isaac Monachus, qui primus é Tabanensi cœnobio Judicem adiit, ac per speciem discendæ superstitionis Arabicæ rogat, ut ejus sibi capita edisserat. Quod ille dúm facit, beatus Isaac Arabicé, ut erat apprimé literis imbutus Arabicis: Mentitus, ait, est vobis, ita maledictionibus tabescat divinis, qui tanto scelere implicatus, tantorum agmina perditorum in vasit, secumque inferorum baratro mancipavit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Lectio v.

TUnc Judex nimio stupore turbatus, ac veluti amens effectus, ubertim lacrymasse, & exprobranti sibi Monacho vix respondere potuisse perhibetur. Quaré alapam illi impetit, vinculisque mandavit. Mox ad Regem causa defertur, qui tantæ accusationis eventu perterritus, capitis in eum sententiam pronuntiavit. Ex cujus edicto capite ille plectitur, & de stipite pedibus appensus, ultra amnem in urbis spectaculum collocatur anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo, mensis Junii die tertia. Sed post aliquot dies corpus ejus in cineres redactum, & in flumen projectum est.

℟. Desiderium animę ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate. *Benedictio.* Ignem sui.

Lectio vj.

SEd opere pretium erit exponere, quæ ante ortum, & post obitum indicia, vel prodigia claritatem ejus ostenderint. Ter enim una die, pauló ante quam nasceretur, visus est loqui: sed vim verborum parens rei novitate perterrita nequaquam potuit intelligere. Cumque

que septennis esset, virgo quædam cernit per visum globum luminis é Cœlo descendere; quem inter spectamtium turbam solus manibus excipiens, totum ebibit, futuræ charitatis, atque virtutis non dubio documento. Post ejus autem obitum Sacerdos quidam ex cœnobio Tabanensi post sacrum factum die Dominico, qui erat ab ejus martyrio quintus, paululùm obdormiscens pulcherrimum puerum sibi videt assistere, schedam miræ pulchritudinis manibus præferentem. Quam cum accepisset ab eo, hæc in illa legit inscripta: Sicut pater noster Abraham Isaac filium Deo in sacrificium obtulit, ita nunc sanctus Isaac in conspectu Domini sacrificium pro fratribus immolavit. Et continuó nuntii quidam ex urbe vera esse visa narrarunt.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam pulchritudinis. Gloria. Et coronam.

In tertio Nocturno,

Homilia in Evangelium, Si quis vult venire; *sed si venerit temp. Pasch. dicitur*: Ego sum vitis vera, *ut in fest. S. Perfecti, pag.* 103.

DIE V. JUNII.

In festo Beati Sanctii Martyr. Dupl.

Omnia de com. Mart. temp. Pasch. ut in festo SS. Heliæ, & Soc. pag. 96. *præter hæc, quæ sequuntur.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Sanctii Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

In primo Nocturno,

Lection. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno,

Lectio iv.

Ex D. Eulogio in Momoriali Sanct. lib. 2. *cap.* 3.

BEatus Sanctius sancti Eulogii discipulus, adolescens ex Alba oppido Galliæ Comatæ olim in servitutem abductus, tunc autem inter militares Arabici Regis pueros liber adscriptus, regiis Cordubę sumptibus alebatur. Sed cum pluris hereditatem æternæ, atque cœlestis vitæ duceret, quám fluxæ atque mortalis; hæretici vatis detestatur insaniam, & Catholicam fateri non dubitat veritatem. Itaque regiis privatus muneribus, & secundo post beatum Isaac die jugulatus, & affixus, perrexit ad Christum, anno Domi-

mini octingentesimo quinquagesimo primo, die Junii quinto.

Extra tempus Paschale, Lectio v. *&* vj. *de sermone S. Augustini*, Triumphalis, *ut in festo S. Abundii* 11. *Julii, sed temp. Pasch.* Dignum, & congruum, *ut pag.* 105.

In tertio Nocturno,

Evang. Nolite arbitrari, *ut pag.* 64. *nisi venerit tempor. Paschali, tunc enim dicitur* : Ego sum vitis vera, *de com. Mart. temp. Pasch. ut in festo S. Perfecti, pag.* 103.

DIE VII. JUNII.

In festo Ss. Petri, Vvalabonsi, & Socior. Mart. Dup.

Omnia de com. Mart. temp. Pasch. ut in festo Ss. Heliæ, & Soc. pag. 96. *præter hæc, quæ apponuntur propria.*

Oratio.

DA, quęsumus, omnipotens Deus populo tuo cum Beatorum Martyrum tuorum Petri, & sociorum ejus patrocinio supplicanti, & tantæ fidei exemplo proficere, & æternæ vitę reperire subsidium. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno,

Ex Memoriali Sanctorum D. Eulogii, lib. 2. *cap.* 4.

Lectio iv.

BEatorum Martyrum Isaac, & Sanctii cruore irrigata tellus Cordubensis, tria post diem tertium paria cœlo peperit. In his Petrus sacerdos Astigitanus, & Vvalabonsus diaconus Marię Martyris frater, qui Cordubam discendarum artium causa convenerant, & ob doctrinæ, morumque præstantiam Cuteclarensi virginum cœnobio pręfecti sunt : Sabinianus quoque ex Froniano Cordubæ vico, & Vvistremundus Astigitanus ex Armilatensi Beati Zoyli cœnobio, ad subeundum pro Christi fide martyrium processére.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis; ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida : & in mari Rubro via sine impedimento ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquę, & torrentes inundaverunt. Terra apparuit. ℣. Jube domne benedicere. Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ. ℟. Amen.

Lectio v.

HAbentius prætereá Cordubensis austeritate vitę pręclarus, qui Monachorum vitam amplexus in cœnobio sancti Chris-

Christophori, quod ultra, flumen ad urbem spectabat, voluntario sese carcere inclusit, nec nisi per fenestram, id que raró, ad se venientibus sui copiam faciebat. Ibi sæculo mortuus, ferreis ad carnem indutus laminis, Christo vivebat, ac sese ad illa, quæ pro eo passurus erat, tormenta miles strenuus informabat.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut heredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

Lectio vj.

HI quinque viri fortissimi cum beato sene Hieremia simul ad expugnandum hostem improbum accedentes, uno ore clamarunt, se in eadem fidei professione manere; confiteri Christum; Vatem suum impurissimum detestari. Hæc cum dicerent, jugulari jubentur; accurrunt lictores, & cæteros quidem illæsos, beatum veró Hieremiam flagris graviter cæsum, & inter ipsa verbera emortuum, ac vix hærentem gressibus trahunt; & cunctos capite plectunt, anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo, die Junii septimo. Corpora stipitibus affixa, pauló post flammis exusta sunt, & cineres in flumen sunt injecti.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Descendens Jesus de monte, *de com. plur. Mart. nisi fuerit temp. Pasch. tunc enim dicitur*: Ego sum vitis, vos palmites, *ut in festo Ss. Heliæ, & Soc. pag.* 98

DIE XV. JUNII.

In festo Sanctæ Benildis Matronæ Mart. Dup.

Omnia sanctæ Martyris tantúm, præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius; ut qui beatæ Benildis Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum lib. 3. *cap.* 9.

Lec-

Lectio jv.

SAcracenorum avida cruoris impietas Anastassi, & sociorum plus lacessita virtute, quàm exsaturata sanguine, quem pridié fuderat, nova quotidie feritatis documenta promebat. Manus itaque recenti cruore fœdatas Benildi fœminæ jam ætate provectæ intulerunt, & in eadem fidei professione constanti, vitam eripuere anno Domini octingentesimo quinquagesimo tertio, die veró Junii decimoquinto. Corpus post aliquot dies ingenti concrematum incendio in flumen dispersum est.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Et deducet te mirabilitér dextera tua. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna. * Et deducet te.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

Serm. 67. *de diversis novi Testamenti locis.*

Lectio v.

EGO maximé commemorationes diligo Martyrum, diligo, & amplector: atque omnes quidem, sed tum præcipué, cùm mulierum certamina proponuntur. Quantó ergo infirmius est vas, tantó major est gratia, tantó ilustrius est trophæum, tantó insignior est victoria; non ob imbecillitatem sexus athletarum, sed quód per ea, quibus vicerat inimicus, nunc etiam vincatur.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. * Proptereá unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Proptereá unxit.

Lectio vj.

PER mulierem vicit, per mulierem superatus est. Hoc illius anteá telum erat; hoc illius nunc cædis factum est instrumentum, hoc vas apparuit insuperabile. Peccavit illa prior, & mortua est: ista mortua est, ne peccaret. Illa tum futilis promissi spe inflata Dei leges violavit; hæc vitam præsentem contempsit, ne fidem in suum benefactorem ejuraret. Quam igitur deinceps sperare poterunt, excusationem viri, si molles sint, & ignavi; quam veró veniam, cùm fortiter, ac viriliter se gerant mulieres, cùm adéo se generosé ad certamina pietatis accingant.

℟. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria. Mulier.

In tertio Nocturno.

Homilia in Evang. Simile est

Regnum cœlorum Thesauro, *de eodem commun. 9. lect. ex duabus Ss. Viti, & Soc. folio 80.*

DIE XVI. JUNII.

In festo S. Fandilæ Mart. Dup.

Omnia dicuntur ut in festo D. Eulogii, pag. 56. præter hæc, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui populum tuum beati Fandilæ Martyris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut quem læti veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,
Lection. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno,
Ex D. Eulogio in Memoriali Sanct. lib. 3. cap. 7.

Lectio jv.

BEatus Fandila Presbyter oris æqué, atque vitæ honestate conspicuus, primus sub initium regni Mahomad aditum martyrio patefecit. Is enim ex Accitana patria Cordubam discendi gratia veniens, in Tabanense cœnobium militaturus Deo se contulit. Brevique tantùm humilitate, & obedientia processit, ut in Monasterio Sancti Salvatoris ad Pinnam Mellariam non procul ab urbe sito ad officium Sacerdotale provectus fuerit vel invitus. Quod ministerium ubi suscepit, jejuniis, vigiliis, & orationi propensius cœpit insistere, ambulans de virtute in virtutem, visurus Dominum in Sion.

℞ Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Lectio v.

PER id tempus Arabici Regni proceres superiorum Martyrum constantiam Christianis per ludibrium objectabant; & enervatam jam, & fractam in eis virtutem calumniabantur. Factum itaque divinitùs videtur, ut hic strenuus Christi miles ad certamen ultró descenderet, qui Dei causa suscepta, suorum etiam virtutem, fidemque præstaret. Comitante igitur ipsum perfectione timoris Domini, cúm omnia terrena despiciens mentem cœlo suspenderet, cuperetque dissolvi potiús, & cum Christo manere, quam rebus hærere caducis, obfirmato vultu pergit ad Judicem; Evangelium prædicat; impudicum exprobrat Vatem; ejusque cultores ultricia apud inferos luituros pœnarum incendia protestatur.

℞.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate. *Benedictio.* Ignem sui.

Lectio vj.

JUdex illum in carcerem, & vincula trudit; & rem ipse ad Regem continuó refert, qui accensus igne furoris immensi jubet, imprimis Episcopum comprehendi: sed ille satellitum diligentiam fuga prævertit. Jusserat etiam Christianos omnes generali sententia perdere, fœminasque publico distractu dispergere, præter eos, qui, spreta Christi religione, superstitionem sui Vatis induerent. Sed á Regni proceribus mitigatus iracundiam beati Fandilæ cruore sedavit. Occisum itaque patibulo secundúm amnem suspendit, anno Domini octingentesimo quinquagesimo tertio, Idibus Junii.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam pulchritudinis. Gloria. Et coronam.

In tertio Nocturno,

Homilia in Evangel. Nolite arbitrari, *ut pag.* 64.

DIE XVII. JUNII.

In festo Ss. Anastasii, Felicis, & Dignæ Martyrum, Dup.

Omnia ut in festo Ss. Gumesindi, & Servi Dei, pag. 1 *exceptis sequentibus.*

Oratio.

DEus, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum Anastasii, Felicis, & Dignæ solemnitate lætificas: concede propitius; ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura ocurrente.

In secundo Nocturno,

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum lib. 3. *cap.* 8.

Lectio jv.

POstero die quàm beatus Fandila impia Arabum crudelitate sublatus est, triumphum ab illis retulit Anastasius Presbyter; qui ab ineunte ætate apud basilicam Sancti Aciscli bonis artibus eruditus ad plenam usque juventutem ibidem in Diaconatus officio degens, monasticam deinde vitam instituit, & Sacerdotium adeptus, ad bravium supernæ vocationis per martyrium penetravit: itaque Deo adjuvante, concito gressu palatium petens, se Judici sistit, hostemque fidei veridi-

ridicis assertionum stimulis feriens, gladio confestim abscissus suspenditur. Cum quo & Felix Monachus Complutensis eadem de causa jugulatus affigitur.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes innundaverunt. Terra aparuit. ℣. Jube domne benedicere. Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ. ℟. Amen.

Lectio v.

MOX sub nonam ejus diei horam virgo quædam adolescentula merito, & nomine Digna ex Cœnobio Tabanensi, Deo revelante, procesit ad palmam. Paulo namqué ante martyrium suum assistere sibi per somnium videt puellam habitu, & specie percomptam Angelico, rosas, ac lilia manu gestantem. Quám cúm de nomine, causaque sui exploraret adventus: Ego, inquit, sum Agatha, olim propter Christum diris attrita suppliciis, & nunc veni partem tibi purpurei muneris hujus deferre. Accipe libens donarium, & viriliter age in Domino; nam reliquias rosarum, ac liliorum, quas in manibus servo, post te ex hoc loco datura sum migraturis. Cumque rosam Dignæ reliquisset in manibus, auris sublata cœlestibus ab oculis intuentis evanuit.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut heredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad suplicia. Ut heredes. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

Lectio vj.

NIhilominús tamen de se tam humilitér sentiebat, ut, ne se Dignam, sed indignam potiús appellarent, cum lacrymis etiam postularet. Cúmque martyrii sui specimem cum servati pudoris argumento in flore illo purpureo pariter cepisset, quibus ad illud modis aspirare posset, sæpiùs cogitabat. Ejusque amore á die revelationis suæ succensa, cum socios pendere cognoverit, apertis silentér cœnobii claustris, concito gradu ad Judicem pergit, & cur eos impié trucidarit, intrepida percontatur. Deindé fidei confessionem retexens á lictoribus jugulatur, & ultrá flumen cum sociis equuleo deorsum versa suspenditur, anno Domini octingentesimo quinquagesimo tertio, die Junii decima quarta.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit res pec-

pectus illorum: * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam

In tertio Nocturno,

Homilia in Evangelium: Cum audieritis prælia, *pag.* 13.

DIE XXI. JUNII.

In festo Sancti Pelagii Martyris, Dup.

Ad Vesper. Añæ. de Laud. Psalm. Capit. Hymn. & Vers. ut in festo D. Eulogii, pag. 56. *præter ea, quæ sequuntur propria.*

Ad Magnificat.

Aña. Ministri potestate accepta á Rege sacrilego crudelissimé ab hora septima ad Vesperum usque B. Pelagium cruciarunt. Cum interim B. Martyr clamaret: Domine eripe me de manu inimicorum meorum.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: concede propitius; ut qui te in Beato Pelagio Martyre tuo mirabilem prædicamus, ejus preces apud te ad nostrum sentiamus provenire subsidium. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lect. Debitores sumus *ut in die S. Eulogii. pag.* 58.

℟. j. Pelagius obses datus pro Hermoigio Episcopo, cum decem tantúm esset annorum. * Castus in carcere, sobrius, & quietus, orationibus vigil, lectioni assiduus vitam agebat. ℣. Dominicę legis memor, pię conversationis ascitor, modestus, & risui non facilis tentationibus fortiter resistebat. * Castus in carcere.

℟. ij. Omnia, ò Rex, nihil sunt, finem habent, & cum suis spatiis transeunt. * Porro Christus, quem ego colo, nescit finem habere. ℣. Ipsum non negabo; Christianus sum, fui, & ero. * Porró.

℟. iij. Cúm Rex petulanter eum tangere vellet; puer sanctissimus dixit: * Tolle, canis improbe, numquid me vobis similem, & effœminatum existimas? ℣. Vestem pretiosam, qua indutus erat, abscidit, & fortem in palestra se Christi athletam constituit, dicens: * Tolle. Gloria Patri. Tolle.

In secundo Nocturno,

Ex Historia Reguelis Presbyteri, qui ejus martyrio interfuit.

Lectio jv.

HErmoigius Tudensis Episcopus á Mauris in prælio ad Vallem Luncariæ captus, & Cordubam in carcerem ductus obsidem pro se consobrinum suum Pelagium dedit. Qui natus annos vix decem, inclusus in car-

carcere, trienium in eo & sex ampliús menses, admirabili virtutum exemplo præluxit. Lectioni, & orationi vacabat, integritatem servabat mentis, & corporis; & in frangendis vitiis, & refellendis hostium tentationibus veré Christianum robur ostendit. Mira pueri pulchritudo impuri Regis cupiditatem accendit: cujus explendæ gratia illum ad se jubet deferri; quem ubi veste indutum regali conspexit, speciosis, magnisque promissis hortatur, ut Christum neget, & Pseudoprophetam confiteatur. At ille universa despiciens Christum corám hominibus nec erubuit, nec destitit confiteri.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio v.

CUmque Rex illum joculariter tangere vellet: Facesse, inquit, canis, numquid me similem tuis effœminatum existimas? Hæc cúm diceret, pretiosas, quibus indutus erat, vestes abscidit, & fortem se Christi Athletam in palestra constituit. Rex illum ferreis jubet torqueri forcipibus, ac strictim tamdiu sursum, deorsumque versari, quousque aut animam exhalaret, aut Christum Deum esse negaret. Sed adhuc in sua fide constantem membratim jubet gladio scindi, & projici in flumen. Qua ministri potestate accepta, per immania in eum ludibria debachati sunt. Nam alius brachium radicitús amputavit; alius tibias; manus alius, quas ille ad Deum levabat, dissecavit; cervicem denique alius ferire non destitit.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum, in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio vj.

INter hanc carnificinam beatus Pelagius fessus anhelabat; & sanguine pro sudore manante, stabat martyr intrepidus; & quia, qui sui misereretur, nemo hominum erat, Deum solummodó invocabat, dicens: Domine eripe me de manu inimicorum meorum. Quas inter voces spiritum emisit Deo, anno Domini nongentesimo vigesimo quinto, die Junii vigesimo sexto. Corpus deindé in flumen projectum est; sed repertum cúm esset á fidelibus, caput in templo Sancti Cypriani, membra cætera ad S. Ge-

Genesium inhumantur. Sanctius posteá, & Ranimirus Reges ejus corpus ab Rege Habderraghman impetrarunt, & Legionem cùm solemni Episcoporum legione transtulerunt. Unde etiam cúm in eam urbem Regis Almanzoris adventus metueretur, Ovetum relatum est: nec inibi solúm, sed per Astures, Gellicios, & veteris Castellæ urbes sacris suis templis religiosissimé colitur.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum: * Et coronam pulchritudinis. Gloria Patri. * Et coronam.

In tertio Nocturno,

Lectio sancti Evangelii secundúm Joannem.

Lectio vij. *Cap.* 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 51. *in Joann. super medium.*

IPse Dominus Jesus erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum. Jam veró exhortans ad passionis suę sectanda vestigia: Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quód duobus modis intelligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.

℟. Corona aurea super caput ejus: * expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Expressa.

Lectio viij.

HOC autem, quod posteriús dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus. Sequitur enim: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam costodit eam. Ergo, quod suprá dictum est, qui amat (subintelligitur, in hoc mundo) ipse utique perdet: qui autem odit (utique in hoc mundo) in vitam æternam ipse custodit eam. Magna, & mira sententia, quemadmodúm sit hominis in animam suam amor, ut pereat, odium, ne pereat. Si malé amaveris, tunc odisti: si bené

né oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

℞. Hic est veré martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Qui minas. Gloria Patri. * Qui minas.

Lectio jx.

SED vide, ne tibi subrepat, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quód debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni, atque perversi homines, & in se ipsis crudeliores, & sceleratiores homicidæ flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit: imó etiam diabolo præcipitium sibi suggerenti respondit: Redi retró Satanas: scriptum est enim: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus erat Deum: Cùm esses junior, cingebas te, & ambulabas, quó volebas: cùm autem senueris, alter te cinget, & feret, quó tu non vis. Ubi satis expressit, non á se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

AD LAUDES,

& per Horas, Aña.

PER trium annorum & semicirculum beatus Pelagius detentus in carcere, orationibus vigil, lectioni assiduus, sanctissimé vitam agebat.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis, pag.* 15

Aña. Cùm esset venusta facie pulcherrimus sanctus Pelagius, Regi ejus insignis forma denunciatur. *Aña.* Rex, visa ejus insigni forma, multis blanditiis ipsum hortatur, ut Christum abneget; sed Sanctissimus juvenis pro Christi amore cuncta despexit. *Aña.* Rex ira stimulatus: Torquete, inquit, illum forcipibus ferreis, quousqué aut animam exhalet, aut Christum esse Dominum deneget. *Aña.* Cùm immobilem illius constantiam videret, jussit eum membratim gladio scindi, & in flumen projici.

Capitul. & Hymn. ut in festo S. Eulogii, pag. 66.

Ad Benedictus,

Aña. Beatus Pelagius inter blanditias, minasque Christum confitebatur, eligens magis mori pro veritate, quam vivere sęculo & carere justitia.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: concede

cede propitius; ut qui te in beato Pelagio Martyre tuo mirabilem prædicamus, ejus preces apud te ad nostrum sentiamus provenire subsidium. Per Dominum nostrum.

Ad Horas & ad secundas Vesper. Añæ. de Laudib. Psalmi, Capit. Hymn. & Vers. de commun. unius Martyr.

Ad Magnificat,

Aña. Ministri *ut in primis Vesper. pag.* 125.

DIE XXVII. JUNII.

In festo Sancti Zoyli Martyris, Dup.

Officium ut in die D. Eulogii, pag. 56. *præter hæc, quæ sequuntur propria.*

Oratio.

DEus, qui nos beati Zoyli Martyris tui meritis, & intercessione lætificas: concede, quæsumus, populo supplicanti, ejus semper & exemplo proficere, & oratione defendi. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno,

Ex totius fermé Hispaniæ Breviariis, & vetustissimis, quorum magna est auctoritas, Sanctoralibus.

Lectio jv.

BEatus Zoylus Cordubæ præclarissimis parentibus ortus, ab incunabulis Christianæ veritati addictus est. Qui adolescentiam ingressus, cúm Christum publicé fateretur, ac prædicaret; comprehensus ab idolatris sub persecutione Diocleciani, & Maximiani Imperatorum ad prætorium Præsidis delatus est. Præses ad culturam dœmonum illum adducere conabatur, jam muneribus, jam blandis sermonibus aggrediens; nonnunquám etiam supplicia intentans perterrefaciebat. Sed virum sanctum non valens á proposito tentamentis ullis detrahere; post verbera, & ungulas ferreas, renibus á tergo extractis, morte tandem affecit: & simul cum eo decem alios ac novem socios, qui in eadem Religionis causa certabant, impié trucidavit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio v.

CUjus corpus, ne posset á Christianis agnosci, ac juxtá meritum venerari, inter peregrinorum corpora sepultum, Sisebuti tandem Regis orthodoxi temporibus, cúm jam pace Ecclesia frueretur, cœlitús revelatum est. Nam vir quidam ex

Gothorum nobili propagine Agapitus ob vitæ, morumque præstantiam in Episcopum Cordubensem electus, per quietem divinitús audivit, quo loco sanctus Zoylus pro Christo mortem pertulerit, & furtim sepultus fuerit.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prevenisti eum, in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio vj.

QUI postera confestim die convocatis fratribus, & universo feré populo, quæ sunt per somnium revelata recensuit; simulque omnes in præmonstratum locum deduxit; quò cúm est perventum, Episcopus ipse rastrum primus arripiens, terram effodere non prius destitit, quam, Deo sibi suggerente vires, ad corpus sanctissimum penetravit. De Ecclesia ejus nomini, & ossibus dedicata, & frequenti Monachorum Cœnobio ad Armilatam fluvium in montanis Cordubensibus posito, & sanctitate imprimis, ac numero Martyrum celebri, scribit Beatus Eulogius in Memoriali Sanctorum.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam pulchritudinis. Gloria Patri. * Et coronam.

In tertio Nocturno,

Homil. super Evangel. Amen, amen dico vobis, Nisi granum, *ut in festo S. Pelagii, pag.* 127.

FESTA JULII.

DIE VII.

In festo S. Argimiri Mart. Dup.

Omnia ut in festo S. Eulogii, pag. 56. *præter propria.*

Oratio.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui Beati Argimiri Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Script. occurrente.

In secundo Nocturno,

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 3. *cap.* 16.

Lectio jv.

BEatus Argimirus Confessor, vir nobilis ex oppido Egabrensi, & quodam tempore Cordubæ patritiæ Censor á Rege præfectus, cúm semotus ab administratione judicii otium Cœnobii quietus incoleret, quorundam ethnicorum dolo, vel odio defertur ad Judicem, &

de

de fidei professione, & de Vate suo contumeliis onerato accusatur. Judex indigné rem ferens jubet illum in arctiori custodia detineri.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio v.

DEindé post dies aliquot adductum ad se cohortationibus primúm, ac verborum lenociniis, cúm frustra subvertere niteretur, equuleo viventem imponit, enseque transfossum exanimat, anno Domini octingentesimo quinquagesimo sexto, die Julii vigesimo octavo. Ejus corpus post multos etiam dies edicto Judicis depositum é patibulo, digno Sacerdotum ministerio in Æde Beati Acisci propé ipsius, & Sancti Perfecti Martyris tumulum sepelitur.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum, in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Sermo S. Aug. Episcopi.

Lectio vj.

TRiumphalis Beati Martyris Argimiri dies hodie nobis anniversaria celebritate recurrit: cujus glorificationi sicut congaudet Eclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & conglorificabimur. In cujus glorioso agone duo nobis præcipué consideranda sunt: indurata videlicét tortoris sævitia, & Martyris invicta patientia. Sævitia tortoris, ut eam detestemur; patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversùs malitiam increpantem: Noli æmulari in malignantibus: quoniam tamquám fœnum velociter arescent. Quód autem adversús malignantes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum: * Et coronam pulchritudinis. Gloria Patri. * Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lect. in Evangel. Nolite arbitrari, *ut in fest. D. Eulogii, pag.* 64.

DIE

DIE XI. JULII.

In festo S. Abundii Martyris, Dup. Offic. ut in die S. Eulogii, pag. 56. præter ea, quæ hic assignantur.

Oratio.

EXaudi, quæsumus Domine, preces populi supplicantis, & concede propitius: ut qui beati Abundii Martyris tui natalitia annua devotione recolimus, ejus quoque ad æternam vitam exemplis instruamur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio jv.

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum lib. 3. *cap.* 12.

ABundius de vico Ananellos, qui est in montanis Cordubensibus, exortus, ibidemque sacerdotium suum peragens, quorumdam commento, vel fraude infidelium ad martyrium pertractus est. Sed ille Dei famulus cúm se quadam vocatione in sacrificium verum cœlitus aptari conspiceret, quo nolens primúm ducebatur, grato tandem animo adiit. Ac sic interrogatus á Judice, intrepida responsione rationem fidei pandens, ultimó scelerosum dogmatistam Mahumetum, ejusque cultores veridicis assertionum objectis inculcat. Ideoque sub celeri indignatione peremptus, canibus, & bestiis devorandus exponitur, quinto Idus Julii, anno Domini octingentesimo quinquagesimo tertio.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi. *Benedictio.* Christus perpetuæ.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Sermo 44. *de Sanctis.*

Lectio v.

TRiumphalis beati Martyris Abundii dies hodie nobis anniversaria celebritate recurrit; cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & conglorificabimur. In cujus glorioso agone duo nobis præcipué consideranda sunt: indurata videlicet tortoris sævitia, & Martyris invicta patientia. Sævitia tortoris, ut eam detestemur; patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversus malitiam increpantem: Noli æmulari in malignantibus: quoniam tamquam fœnum velociter arescent. Quód autem adversus malig-

lignantes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronan de lapide pretioso. Et voluntate. *Benedictio.* Ignem sui.

Lectio vj.

COronata itaque est beati Martyris patientia; mancipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem. Ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: & quot anté mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, alté retinebat: quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et quia momentaneum hoc & leve nostræ tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. Hujus promissionis amore á terrenis suspensus, & pręgustata supernæ suavitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cúm Psalmista: Quid mihi est in cœlo, & á te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam pulchritudinis. Gloria. Et coronam.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelij secundúm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 10. *d.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homilia 32. *in Evangelia.*

QUuia Dominus, ac Redemptor noster novus homo venit in mundum, nova præcepta dedit mundo. Vitæ etenim nostræ veteri in vitiis enutritæ contrarietatem opposuit novitatis suæ. Quid enim vetus, quid carnalis homo noverat, nisi sua retinere, aliena rapere, si posset; concupiscere, si non posset? Sed cœlestis medicus singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta. Nam sicut

cut arte medicinæ calida frigidis, frigida calidis curantur: ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.

℟. Corona aurea super caput ejus: * expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Expressa.

Lectio viij.

CErté cúm se sequentibus nova mandata proponeret, dixit: Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ac si aperté dicat: Qui per vitam veterem aliena concupiscitis, per novæ conversationis studium & vestra largimini. Quid veró in hac lectione dicat, audiamus: Qui vult post me venire, abneget semetipsum. Ibi dicitur, ut abnegemus nostra: hic dicitur, ut abnegemus nos. Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua; sed valdé laboriosum est relinquere semetipsum. Minùs quippe est abnegare, quod habet: valdé autem multumest, abnegare, quod est.

℟. Hic est veré martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Qui minas. Gloria Patri. * Qui minas.

9. lect. S. Pii, ut in Breviar.

DIE XIV. JULII.

In Festo S. Francisci Solan. Confessoris dup.

Omnia de com. Confess. non Ponnific. ut in fest. S. Alvari, pag. 30. præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

DEus, qui plurimas Americę Gentes per Beatum Franciscum ad sinum Ecclesiæ perduxisti, ejus meritis, & precibus indignationem tuam á peccatis nostris averte, & in Gentes, quæ te non cognoverunt, timorem nominis tui benignus immitte. Per Dominum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Script. occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio jv.

FRanciscus Solanus Montilię, Hispaniæ Bœticæ oppido, nobili genere natus, ac Domini timorem jam indé á puero edoctus, Apostolico muneri, quod erat posteá suscepturus, in ea ætate præluxit. Nam condiscipulos, & natu majores ardenti ora-

oratione, ad penitentiam hortari, dissidentes componere, res humanas contemnere, Divinas serio meditari solitus erat. Adolescens in Ordinem Fratrum Minorum Observantium nomen dedit; in eoque asperioris disciplinæ, humilitatis, ac pietatis exemplis oculos omnium ad se trahere cœpit. Lectulus illi juncorum strues, pro indusio cilicium, quod grandi fune ita stringebat; ut latera acerrimé discruciaret. Noctu se flagris, & catenis cædebat, dies anni complures pane tantúm, & aqua victitavit; seque aliquando in spinarum acervos nudum projecit, beatum Franciscum imitatus, ut sensus omnis patientia doloris frangeretur. In sacris autem concionibus ipsius charitas maxime enituit, qua plurimos Christo lucrifecit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

PEstilentia per Bœticam fæviente, ad corpora simulanimasque curandas se totum convertit; & ipse lue mortali tandem implicitus, ac Dei manu é periculo ereptus, in pristino ministerio, constantius præstitit, dum morbus omninó extingueretur. Puerum quoque fœdis ulceribus laborantem, ea lambendo sanitati restituit. Exinde magnum esse cœpit in Bœtica Solani nomen. Sed ille hominum laudes aversatus, Deique gloriam, non suam unicé quærens, Superiores oravit, ut se in Africam mitterent ad Catholicam Fidem prædicandam, pro qua etiam, si se daret occasio, vitam profundere peroptabat. Missione Africana non impetrata, Americanam obtinuit; magnisque periculis, non sine miraculo, mari, terraque perfunctus, ad sibi paratam á Domino vineam lætus accessit; á qua colenda nullā eum itinerum longitudo, aut vigiliarum molestia retardavit.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi cororavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vj.

PER vanas regiones assidué peragrans ingentem numerum Infidelium ad Christum convertit, Christiános á vitæ impuritate ad honestatem passim traduxit. Sæpé in concione, cúm copiosé de Deo, ejusque Virgine Matre locutus esset, in extasim rapiebatur, aliquando de Domini cruciatibus verba

fac-

facturus, voce lacrymis interclusa, audientium fletus, ac gemitus eliciebat. Summis tandem laboribus pro Dei Gloria amplificanda confectus, mortemque præsentiens imminentem, Sacramentis perceptis ad iter cœleste se comparavit; ac totus in Domino cogitatione defixus, piasque preces ad eum fundens, & in Crucis figuram compositis manibus, expiravit. Ætatis anno secundo & sexagesimo, Christi millesimo sexcentesimo decimo, festo ipso die sancti Doctoris Bonaventuræ, quem eximia pietate in omni vita fuerat prosecutus. Demortui color, antea subniger, est in album mutatus, vultusque species venusta confestim apparuit, & suavis odor é corpore cœpit erumpere.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum, ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus Gentibus. ℣. Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno,
Lectio Sancti Evangelii secundúm Marcum.

Lectio vij. *Cap.* 16. *c.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.
Homilia 29. in Evangelia post initium.

POtest omnis creaturæ nomine omnis natio Gentium designari. Anté etenim dictum fuerat: In viam Gentium ne abieritis; nunc autem dicitur, Prædicate omni creaturæ: ut scilicet priùs á Judæa Apostolorum repulsa prædicatio tunc nobis in adjutorium fieret, cúm hanc illa ad damnationis suæ testimonium superba repulisset. Sed cúm discipulos ad prædicandum veritas mittit, quid aliud in mundo facit, nisi g[illegible] na seminis spargit? Et pauc[illegible] grana mittit in semine, ut multarum messium fruges recipiat ex nostra fide.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. Ipse intercedat. *Benedictio.* Cujus festum colimus.

Lectio viij.

NEque etenim in universo mundo tanta fidelium messis

sis exurgeret, si de manu Domini super rationalem terram illa electa grana prædicantium non venissent. Sequitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui veró non crediderit, condemnabitur. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur á nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos. *Benedictio.* Ad societatem.

Lectio jx.

SIgna autem eos, qui credituri sunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent, & si mortiferum, quid biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bené habebunt. Numquidnam, fratres mei, quia ista signa non facitis minimé creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut enim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos, cum arbusta plantamus, tandiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.

Te Deum laudamus, *pag.* 14,

DIE XVII. JULII.

In festo S. Sisenandi Mart. Dup. Offic. ut in die S. Eulogii, pag. 56. exceptis sequentibus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui Beati Sisenandi Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Script. ocurrente.

In secundo Nocturno.

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 2. cap. 5.

Lectio jv.

LEvita dignissimus Sisenandus ex Pacensi colonia Lusitaniæ, cui Beja nomen est, Cordubam studiorum causa concessit. Ibique apud sancti Aciscli basilicam ingenuis artibus diligentér instructus, invitantibus se, ut ipse familiaribus retulit, Petro, & Vvalabonso

jam cœlo Martyribus collocatis, martyrium quoque & ipse aggressus est. Dum autem in vinculis teneretur, obitus sui horam prophetico illustratus spiritu dicitur prędixisse.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio v.

NAM cúm ab amico litteras accepisset; dum rescribit, nimia subitó hilaritate perfusus, & cœlesti quodammodó gaudio vegetatus, surrexit; ac litteras, ut erant inchoatæ puero porrigens, multis audientibus ait: Recede modò fili, ne impetu satellitum opprimaris; urget enim hora, cúm me hinc ferro decollandum potestas tenebrarum educet. Vix ea prædixerat, cúm ecce illi vociferantes lictores irrumpunt, Christi militem in eodem gradu constantem pugnis, alapisque contundunt, & ad Judicem usque compellunt.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio vj.

PErgit Dei famulus cúm ingenti animi gaudio de corona victorię certus; qui ad cœleste convivium exhortantibus sanctis fuerat invitatus. Ubi ad Judicem venit, eadem, qua priús constantia, in confessione fidei perseverans, delicatus ephebus gloriosa morte peremptus est; atque inhumatus pro foribus palatii derelictus anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo, die Julii decimo septimo. Cujus ossa post multos dies, donante Deo, inter alvei lapillos inventa, in Beati Aciscli basilicam deportantur.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam pulchritudinis. Gloria Patri. * Et coronam.

In tertio Nocturno,

Evangelium: Nolite arbitrari, *ut pag.* 64.

DIE XIX. JULII.

In festo Sanctæ Aureæ Virg. & Martyris, Dup.

Offic. ut in die S. Leocritiæ, pag. 69. *præter sequentia propria.*

Oratio.

INdulgentiam nobis, quæsumus Domine, Beata Aurea vir-

virgo, & martyr imploret: quę tibi grata semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno,

Ex D. Eulogio in Memoriali Ss. lib. 3. cap. 17.

Lectio jv.

AUrea nobilis virgo, sanctorum Adulphi, & Joannis Martyrum soror, in Cuteclarensi cœnobio triginta & ampliùs annos commorata, animum Divinis virtutibus imbuit, atque egregia præstitit suæ fidei documenta. Quidam autem suorum ex Provincia Hispalensi, unde genus trahebat clarissimum inter Arabes, per speciem salutandę virginis ejus fidem explorant. Quam cùm non solúm Christianam esse agnovissent, sed etiam Deo per virginitatem in cœnobio consecratam, apud Judicem, quem ipsa communione sanguinis attingebat, litem illi suscepti Christiani cultus intendunt.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna. * Et deducet te.

Lectio v.

JUdex illam sibi sisti jubet, ac primúm pro consanguinitatis jure monet, & obsecrat, ne fidem profitendo, degenerem se suis reddat. Deindé pro protestate minatur, si & Christianam religionem deserere, & superstitionem suam amplecti nolit, post varia tormenta necem indignissimam subituram. Ferunt eodem momento Virginem Judici obsecutam, & pollicitam se imperata facturam. Mox accusatione absoluta in domum revertitur: inibique cum interno doloris affectu linguæ lapsum gravitér deplorat, & assiduis gemitibus á Deo veniam deprecatur.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. * Properteá unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea unxit.

Lectio vj.

DUM autem ad ilustrius suæ fidei specimen studiosiùs templa frequentat, ad Judicem secundó defertur, apud quem omni metu, & pœnarum acerbitate contempta, proximum errorem illustri fidei confessione retexuit; atque ejus criminis vindicem gladium expetivit, dicens: Numquám á Christo Deo meo separata sum: numquám á Religione pietatis ejus discessi: num-

numquám superstitionibus vestris vel ad momentum inhæsi: licét dudúm coram te, lapsu quodam sermonis lingua succubuit. Tunc Judex ira vehementer accensus, puellam ergastulo includit, ac vinculis oneratur: & pauló post ex Principis decreto gladio trucidavit, patibuloque suspendit, anno Domini octingentesimo quinquagesimo sexto, die Julii decimo nono. Deindé corpus in flumen immersit.

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna. * Afferentur tibi. Gloria. Afferentur.

In tertio Nocturno,

Lectio sancti Evangelii secundúm Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 12. *in Evangelia.*

SÆpé vos, fratres charissimi, admoneo prava opera fugere, mundi hujus inquinamenta devitare: sed hodierna sancti Evangelii lectione compellor dicere, ut & bona, quæ agitis, cúm magna cautela teneatis: ne per hoc, quodá vobis rectum geritur, favor, aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intús á mercede vacuetur. Ecce enim Redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intrá beatitudinis januam non omnes sunt receptæ: quia earum quædam, dúm de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.

℟. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secum oleum: * Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias. ℣. Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Et veniente.

Lectio viij.

SED priús quærendum nobis est, quid sit regnum cœlorum, aut cur decem virginibus comparetur; quæ etiam virgines prudentes, & fatuæ dicantur? Dum enim cœlorum regnum constat, quia reproborum nullus ingreditur, etiam fatuis virginibus cur simile esse perhibetur? Sed sciendum nobis est, quòd sæpé in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis

ris Ecclesia dicitur. De quo alio in loco Dominus dicit : Mittet Filius hominis Angelos suos , & colligent de regno ejus omnia scandala. Neque enim in illo regno beatitudinis , in quo pax summa est , inveniri scandala poterunt , quæ colligantur.

℟. Media nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exite obviam ei. ℣. Prudentes Virgines aptate vestras lampades. Ecce. Gloria Patri. Ecce.

Lectio jx.

IN quinque autem corporis sensibus unusquisque subsistit Geminatus autem quinarius denarium perficit. Et quia ex utroque sexu fidelium multitudo colligitur , sancta Ecclesia decem virginibus similis esse denuntiatur. In qua , quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti sunt , rectè similis virginibus prudentibus , & fatuis esse perhibetur. Sunt namque plerique continentes , qui ab appetitu se exteriori custodiunt , & spe ad interiora rapiuntur , carnem macerant , & toto desiderio ad supernam patriam anhelant, æterna præmia expetunt , pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt. Hi nimirùm gloriam suam non in ore hominum ponunt , sed intrá conscientiam contegunt. Et sunt plerique , qui corpus per abstinentiam affligunt , sed de ipsa sua abstinentia humanos favores expetunt.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

DIE XXVII. JULII.

In festo Sanctorum Aurelii, Felicis, & Sociorum Mart. Dup.

Offic. ut in die Ss. Gumesindi , & Servidei , pag. 1. *præter sequentia propria*

Oratio.

SEmper nos, Domine, sanctorum martyrum tuorum Aurelii, Felicis, Georgii, & sociarum faveat beata solemnitas; ut quod nostris meritis impetrare diffidimus , eorum apud te patrociniis consequamur. Per Dominum.

In primo Nocturno,

Lectiones : Fratres debitores sumus , *pag.* 58.

In secundo Nocturno,

Lectio jv.

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum , lib. 2. *cap.* 10.

BEatus Aurelius Cordubensis Ethnico patre, & Christiana matre susceptus, genere, opibusque florens , Sabigothonem, quam Isabellam gothicam quidam interpretantur, & alii Nataliam vocant, pari dignitate fœminam sortitur uxorem. Cúmque Joannem clarissimum confessorem ob fidei professionem cum fœda verberatione traduci vidisset ; ardore imitandi concepto , rem cum uxore communi-

nicat; & ex mutua consensione maritali uterque thoro sejungitur. Præfulgent lectuli fulcra vestium, colorumque varietate, quó sua vota celarent: illi autem seorsúm in interioribus domus angulis in crudo latere ciliciis horrente decumbunt; sed corporis castigationem dulcedo temperabat cœlestium voluptatum. Cubiculum sæpé cœlitús ilustratum Solem Splendore vincebat: sæpé colloquiis fruebantur Angelicis; visis denique cœlestibus firmabantur.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio v.

MAria, & Flora Martyres Sabigothoni per quietem objectæ sunt in niveis vestibus, ac flores manibus præferentes cum choro Sanctorum phialas palmis ferentium; quibus ut beatus Eulogius interpretatur, orationes eorum, qui ad prælium venerant informari, in conspectum Domini ferrent. Ab his beata Sabigotho de suo, conjugisque martyrio certior efficitur: Cujus inquiunt illæ rei signo, instanti vobis certamine, Cœnobitam nostrum mittemus, qui vobiscum cum palma potiturus martyrii, cœlitus designatur. Quaré facultatibus in pauperes erogatis, duabusque filiabus infantulis in Tabanensis cœnobii fidem, tutelamque traditis, dum ostendendæ fidei causa palàm Christianorum templa frequentant, á Judice deprehensi in carcerem detruduntur. Comprehensus cum illis etiam Georgius Monachus, ut beatæ Martyres pauló anté prædixerant, qui ex Sancti Sabbæ Monasterio non longé ab Jerosolymis posito Cordubam nuper advenerat, & Tabanense cœnobium incolebat.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut heredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes.

Lectio vj.

FElix productá Beati Aurelii propinquus cum Liliosa conjuge sua; qui omnes conjecti in ergastulum visitantur ab Angelis, & miraculis illustrantur. Dissiliunt enim vincula, nec constringere audent, quos Christus absolverat. Sortem deindé quam essent in cœlis habituri, Deo revelante, cognoscunt. Introducuntur posteá palatio, ubi á Judicibus ad creden-

dendum suo Vati ingentibus promissis sollicitantur. Sed cunctis in fidei professione constantibus caput absciditur, anno Domini octingentesimo quinquagesimo secundo, die Julii vigesima septima. Quorum corpora á Christianis furtim sublata diversé inhumantur. Georgius cum Beato Aurelio in Pinnamellariensi cœnobio; beatus Felix in sancti Christophori ultrá flumen; Sancta Sabigotho cum sanctis Martyribus Fausto, Januario, & Martiali, Liliosa deniqué apud sanctum Genesium requiescit.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno,

Homilia in Evangelium: Cum audieritis, prælia, *pag.* 13.

DIE XXX. JULII.

In festo Sancti Theodemiri Mart. Dup.

Offic. ut in die S. Eulogii, pag. 56. *præter hæc, quæ sequuntur.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui Beati Theodemiri Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum nustrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Script. occurrente.

In secundo Nocturno,

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 2. *cap.* 6.

Lectio jv.

CUM Arabum adversús Christianos quotidié crudelitas augeretur, nondúm superiorum, ac resenti maximé sanguine Pauli Martyris satiata, Theodemirum Carmonensem juvenem adoritur, quem cum sibi fortiter obsistentem vidissent Judices, & Christum verum Deum confiteri, Vatem veró suum mortalem, impurissimum, ac sceleratissimum appellare, gladio trucidarunt, anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo, die Julii vigesima quinta.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio v. Triumphalis, *pag.* 132. & *Lectio* vj. Coronata, *pag.* 133.

In tertio Nocturno,

Evangelium: Nolite arbitrari, *pag.* 64.

DIE

DIE XIV. AUGUSTI.
Olim XX. Julii.

In festo Sancti Pauli Diaconi Mart. Dup.

Offic. ut in die D. Eulogii, pag. 56. *præter sequentia propria.*

Oratio.

DEus, qui conspicis, quia nos undique mala nostra perturbant; da populo tuo: ut B. Pauli martyris tui precibus ab omni se reatu liberari lætetur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,
Lectiones de Script. occurrente.
In secundo Nocturno,
Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 2. cap. 6.

Lectio jv.

QUO tempore Hispania durissima servitute sub Arabum imperio premebatur, variis modis Christi fideles à religionis hostibus affligebantur. Nihilominùs tamen, quó illi magis urgebant, eó magis augebatur confitentium publicé Dominum multitudo. Inter quos beatus Paulus Levita dignissimus é civibus Cordubensibus ortus, & sancti Eulogii contribulis, atque propinquus meritó numeratur, qui, vitæ hujus amore contempto, ad sempiternam gloriam per mucronis aciem aspiravit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio v.

CUM primò igitur adolescentiæ flore venustaretur, apud basilicam, quæ corporis Beati Martyris Zoyli præsentia illustratur, spiritualibus enutritus est disciplinis. Simplicitate imprimis, obedientia deinde, atque Charitate maximé excelluit. Vinctorum assidué lustrabat ergastula; consolabatur afflictos; inopes sublevabat. Cúmque Beatum Sisenandum egregiam pro Christo mortem subire vidisset, cupiditate accensus est obeundi Martyrii.

℟. Desiderium animę ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: pusuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio vj.

EJus itaque exemplo, & verbo simul instructus, Principibus, & Regis consiliariis se sistere non dubitavit. Quos cum Mahumeticæ impietatis, ac sævitiæ argueret, & sceleratissimi sui Vatis insaniam exprobraret; Christum quoque Deum veraci-

ter

tér confiteretur; eorum jussu peremptus est, anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo, die Julii vigesima. Cujus cadaver inhumatum, & anté fores Palatii derelictum post nonnullos dies furtim á Christianis sublatum est, & cum beati Theodemiri Carmonensis Monachi corpore in templo sancti Zoyli conditum est.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam pulchritudinis. Gloria. Et coronam.

In tertio Nocturno,

Lectio sancti Evangelii secundúm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 14. *c.*

IN illo tempore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhúc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 37. *in Evangelia.*

SI consideremus, fratres charissimi, quæ, & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita ęternæ vitæ comparata, mors est potiús dicenda, quám vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quám quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia; Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Expressa.

Lectio viij.

SED ad hæc audita inardescit animus: jamque illic cupit assistere, ubi se sperát siné fine gaudere. Sed ad magna præmia, perveniri non potest, nisi per magnos labores. Unde & Paulus egregius prædicator dicit: Non coronabitur, nisi qui legitimé certaverit. Delectat ergó mentem magnitudo præmiorum, sed

non deterreat certamen loborum. Ude ad se venientibus Veritas dicit: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

℟. Hic est veré martyr, qui pro Chrsti nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit: nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Qui minas. Gloria Patri. * Qui minas.

Nona lect. de Homil. Vigil. Assumpt. B. M. V.

DIE XXIII. AUGUSTI.

In festo Ss. Christophori, & Leovigildi Mart. Dup.

Offic. ut in die Ss. Mart. Gumesindi & Servidei, pag. 1. præter sequentia propria.

Oratio,

FAC nos, quæsumus Domine, Sanctorum martyrum tuorum Christophori, & Leovigildi veneranda natalitia ita celebrare; ut eorum patrocinio protectionis tuæ perpetua dona sentiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Script. occurrente.

In secundo Nocturnr,

Lectio jv.

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 2. cap. 11.

CHristophorus Monachus, ephebus adolescens Cordubæ natus, & á pueritia beati Eulogii discipulus cœnobium sancti Martini ingressus; magnum pié volentibus conversari specimen sanctitatis ostendit. Hic, agnita præcedentium nece sanctorum, concito gressu in urbem descendens, obviare Judici non extimuit: & reddens corám eo testimonium veritatis annuntiat Evangelium; mysteria fidei prædicat; superstitionibus deditum vulgus exhortatur; arguit malé credulos; luiturosque cum auctore sui sceleris æternum profert incendium.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes innundaverunt. Terra.

Lectio v.

TUM Judex sævo commotus furore jubet illum in arctiori custodia vinculis onerari. In qua dum versatur Leovigildum Monachum vinculorum comitem, & gloriosi certaminis con-

consortem accipit. Erat is Iliberi progenitus, vir sanctus, justus, & timoratus, qui ex cœnobio Sanctorum Justi, & Pastoris, quod in Mariano monte viginti mille passus distabat ab urbe, in eam martyrio potiturus advenit. Et prius quám in forum intraret, instituendi se gratia beatum Eulogium adiit, atque ut suos conatus apud Deum precibus adjuvaret, ad consumandumque agonem benedictionem impertiretur, obsecravit.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut herédes fierent in domo Dimini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes.

Lectio vj.

CUmque ab illo firmatus in pace discederet, mox corám Judice suam relaturus professionem assistens, dat testimonium fidei; & cæsus alapis convitiis oneratur; & in sævos carceres traditur alligandus. Ibi cum beato Christophoro obeundæ mortis fœdere copulatur: & cum præire illum ad necem reverentia ætatis beatus Christophorus exoptaret, hoc ordine ferro truncati, grata uterque Deo victima cecidit, anno Domini octingentesimo quinquagesimo secundo, die vigesima Augusti. Deinde flammis impositi, ante quám penitús urerentur, fidelium cura erepti, & in sancti Zoyli Æde sepúlti sunt.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno,

Lectio sancti Evangelii secundúm Lucam.

Lectio vij. *Cap. 6. c.*

IN illo tempore: Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, & Jerusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 5. in Luc. cap. 6. post initium.

ADverte omnia diligentér, quomodò & cum Apostolis ascendat, & descendat ad turbas. Quomodó enim turba nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non as-

ascendit ad sublimia. Denique ubi descendit, invenit infirmos: in excelsis enim infirmi esse non possunt. Hinc etiam Matthæus docet in inferioribus debiles esse sanatos. Priús enim unusquisque sanandus est, ut paulatim virtutibus procedentibus ascendere possit ad montem. Et ideó unumquemque in inferioribus sanat, hoc est, á libidine revocat, injuriam cæcitatis avertit, ad vulnera nostra descendit: ut usu quodam & copia suæ naturæ, comparticipes nos faciat esse regni cælestis.

℟. Propter testamentum Domini, & leges paternas, sancti Dei persisterunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spiritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quám bonum, & quám jucundum habitare fratres in unum. Quia unus.

Lectio viij.

BEati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Quatuor tantúm beatudines sanctus Lucas Dominicas possuit; octo vero sanctus Matthæus; sed in illis octo istę quatuor sunt, & in quatuor istis illę octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales: ille in illis octo mysticum numerum reseravit. Pro octava enim multi inscribuntur Psalmi: & mandatum accipis octo illis partem dare, fortasse benedictionibus. Sicut enim spei nostræ octava prefectio est, ita octava summa virtutum est.

℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis: * Mercedem laboris ego reddam vobis. ℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. Gloria Patri. Mercedem.

Lectio jx.

SED priús quæ sum ampliora videamus. Beati inquit, pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Primam benedictionem hanc uterque Evangelista possuit. Ordine enim prima est, & parens quædam, generatioque virtutum: quia qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna: nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

DIE III SEPTEMBRIS.

In festo S. Sandalii Mart. Dup. Officium ut in die D. Eulogii, pag. 56, *præter hæc, quæ sequuntur.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus, ut qui beati Sandalii Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui no-

nominis amore roboremur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,
Lectiones de Script. occurrente.

In secundo Nocturno,
Ex Martyrologiis, & Hispaniæ Sanctoralibus.

Lectio jv.

INter sanctos illos viros, qui, gliscente adversùs Dei Ecclesiam gentilium furore, martyrii coronam Cordubæ consecuti sunt, beatus Sandalius numeratur. Qui in confessione fidei fidem servavit, & bonum certamen certans, cursum suum feliciter consummavit. Ejus martyrii ratio tametsi hominum literis memoriæ non est commendata; in cœlis tamen scripta est in libro vitæ; ubi reposita erat illi corona justitiæ, quam reddit illi Dominus justus Judex in illa immani, ut creditur, Diocletiani persecutione.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

De Expositione sancti Ambrosii Episcopi in Psalmum centesimum decimum octavum. Serm. 21.

Lectio v.

PRincipes persecuti sunt me gratis: & à verbis tuis trepidavit cor meum. Bené hoc Martyr dicit, quod injusté persecutionum tormenta sustineat: qui nihil rapuerit, nullum violentus oppresserit, nullius torum putaverit esse violandum: qui nihil legibus debeat, & graviora latronum substinere cogatur supplicia: qui loquatur justé & non audiatur; qui loquatur plena salutis, & impugnetur: ut possit dicere, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis. Gratis igitur persecutionem patitur, qui impugnatur siné crimine: impugnatur ut noxius, cúm sit in tali confessione laudabilis: impugnatur quasi veneficus, qui in nomine Domini gloriatur, cúm pietas virtutum omnium fundamentum sit.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum, in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio vj.

VEré frustrá impugnatur, qui apud impios, & infidos gratia impietatis accersitur, cum fidei sit magister. Verúm qui gratis impugnatur, fortis debet esse, & constans. Quomodó ergo subtexuit: Et á verbis tuis trepidavit cor meum? Trepidare infirmitatis est, timoris at-

atque formidinis. Sed est etiam infirmitas ad salutem, est etiam timor sanctorum. Timete Dominum omnes sancti ejus: &, beatus vir, qui timet Dominum. Qua ratione beatus? Quia in mandatis ejus cupit nimis.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum: * Et coronam pulchritudinis. Gloria Patri. * Et coronam.

In tertio Nocturno,

Evangelium: Nolite arbitrari, *pag.* 64.

DIE XVII. SEPTEMBRIS.

In festo S. Columbæ Virginis, & Martyris, Dup.

Offic. ut in die S. Leocritiæ, *pag.* 69. *præter sequentia.*

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti: concede propitius; ut qui beatæ Columbę virginis, & martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dñum. nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones De virginibus, *ut in pag.* 74.

In secundo Nocturno,

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 3. cap. 10.

Lectio jv.

BEata Columba Cordubensis virgo nobilis, & decora, parentum bonis, & oblatis sibi nuptiis viriliter spretis, in Tabanensi cœnobio mentem ad studium scripturarum convertit: eoque eruditione, & sanctimonia processit, ut laté diffusa cœnobii fama procul sitarum ad se urbium discursus invitarit. Erat in conversatione laudabilis, in humilitate sublimis, in castitate perfecta, in charitate firma, in exorando attenta, ad obediendum apta, ad miserandum clemens, ad indulgendum facilis, ad prædicandum diserta, ad instruendum prompta. Quibus certé virtutibus cunctorum in se provocabat affectum, omnibus norma, speculumque sanctitatis existens. Cúmque multis sæpé phantasiis á Dœmone oppugnaretur, solertiús ad summam virtutum districtiori vita contendit.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna. * Et deducet te.

Lectio v.

ITaque cúm á consororibus secretam intrá claustra cellulam impetrasset, in contemplatione Dei, & meditatione Scriptu-

turarum multum temporis perseverans, denuó ad reficiendos Divinis pastibus sororum animos revertebatur ad cœtum. Ferunt etiam illam persæpé ternas, & quaternas horas, necnon usque in medium diem in oratione decumbere, & in magno silentio fletum promere solitam adeò effusum, ut subtús stragulum, in quo postrato corpore orabat, humectum lacrymis, quarum dono inter cæteros eminebat, pavimentum ostenderetur. Interdúm etiam cúm stans oraret, in tantam subitó ferebatur contemplationis dulcedinem, ut geminatus ex utroque oculo rivus lacrymarum ad mentum descendens, & in unum confluens crebra stillatione guttatim quasi é tecto in humum influeret.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea unxit.

Lectio vj.

INtereá cúm furor persecutionis, qui in excidium Ecclesiarum fremebat, Virgines é Cœnobio deturbaset, in prædiolum cum Æde sancti Cypriani continens se recepit; ubi cúm clericorum cantus psallentium per natalitia Martyrum audiebat tam dulces, prorumpebat in lacrymas, ut sitire illa ad Deum fontem vivum facilé videretur. Hinc jam ardentiús amore Christi succensa, quibusdam etiam revelationibus ad id frequentér impulsa, se Judici sistit; dat professionem Catholicæ fidei; ac refutat Pseudoprophetam. Judex ejus speciem, verbaque miratus, in palatium ad consiliarios ducit; á quibus ob eandem confessionem trucidari jubetur: nec priús collum securi porrexit, quám præmio lictorem affecit. Cadaver sporta inclusum Bœti committitur, anno Domini octingentesimo quinquagesimo tertio, Septembris die decima septima. Quod post sextum diem illæsum, atque integrum in templo sanctę Eulaliæ sepulturæ mandatur.

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna. * Afferentur tibi. Gloria. Afferentur.

In tertio Nocturno,

Evang. Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, *pag.* 140.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

In festo Ss. Emilæ, & Hieremiæ Mart. Dup.

Offic. ut in die Ss. Gumesindi, & Servidei, pag. 1 *præter sequentia propria.*

Ora-



Oratio.

SAnctorum Martyrum tuorum Emiliæ, & Hieremiæ, quæsumus Domine, natalitia nobis votiva resplendeant, ut, qui tua per eos beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente; nisi venerit in Quatuor Tempor. quia tunc sumuntur Lectiones: Debitores sumus, *ut in pag.* 58.

In secundo Nocturno,

Ex D. Eulogio in Memoriali Ss. lib. 2. *cap.* 12.

Lectio jv.

NON longo post intervallo quám beatus Christophorus, & Leovigildus pro Christi fide perempti sunt, pari virtute, & constantia duo adolescentes illustres ex civibus Cordubensibus nobili familia procreati, ad palestram martyrii cucurrerunt. Emila scilicet, & Hieremias, qui ab infantia sua apud basilicam sancti Cypriani literas ediscentes; unus ad ministerium Diaconi consecratus est: alter in habitu Laicali degebat simpliciter.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes preceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio v.

ET quoniam uterque Arabico insigniter præpollebat eloquio, ferunt beatum Emilam tanta per eamdem linguam in eorum Vatem exagerasse opprobria, ut præcedentium Martyrum convitia obliviscerentur, cernentes horum oppugnationes contra suum dogmatistam acriús invalescere. Idcircò non jam de necibus solummodò sibi resistentium excogitari cœperunt; verum etiam totam extirpare Ecclesiam cogitarunt. Quoniam nimio terrore tot hominum recurrentium ad martyrium concusi Arabes, regni sui arbitrabantur excidium imminere: maximé cum tali etiam virtute præcinctos parvulos præviderent.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut heredes fierent in domo Damini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad suplicia. Ut heredes.

Lectio vj.

HAnc igitur ob causam hos duos adolescentes egregios Emilam, & Hieremiam per carcerem maceratos postremum gladio vindice peremerunt; & cúm totus ille dies clara esset serenitate lustratus, subitò eadem

dem hora, qua decollati sunt, vehemens tonitruorum fragor exurgens mundo incutitur; spargi radiantia lampadum fulgura æther; superos avelli cardines existimares. Armatur nube grandium axis; fuscatur dies; turbinibusque inficitur aêr; pios cecidisse athletas elementa fatentur. Quorum corpora equuleis suspedentes, ultrá amnem statuunt decima quinta die Septembris, anno Domini octingentesimo quinquagesimo secundo.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno,

Evangelium cum sua Homilia: Cum audieritis prælia, *pag.* 13.

DIE XX. SEPTEMBRIS.

In festo Ss. Rogelli, & Servidei Martyrum Dup.

Offic. ut in die Ss. Gumesindi, & Servidei, pag. 1. *præter hæc quæ sequuntur.*

Oratio.

DEus qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum Rogelli, & Servidei solemnitate letificas: concede propitius; ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lection. de Script. occur. nisi venerit, in Quat. Temp. quia tunc sumuntur Lectiones : Debitores sumus, *ut in pag.* 58.

In secundo Nocturno,

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 2. *cap.* 13.

Lectio jv.

NOvum Cordubæ decus accessit ex Beato Rogello, & Serviodeo pro religione interfectis. Ille enim Iliberi jam senex; hic adolescens adhúc ex Orientis partibus ultrá maria Cordubam peregrinati sunt; & pari se fœdere colligantes, unum, idemque propter justitiam Dei certandi votum gesserunt; nullo casu ab invicem recessuri, quousqué cœlestia sanguine mercarentur. Ideóque frequens Sarracenorum fanum ingressi, eorum se concionibus ingerunt, prædicant Evangelium; sectam impietatis subsannant, & ad fidem populum exhortantur. Cúm hæc facerent, ecce quasi crepitans in sentibus rogus, cohors malignantium adversús Dei famulos exardescens cædit, lacerat, obruit, nititurque perimere Sanctos, qui delubrum suum intrare præsumpserant: quod apud illos quoqué grande

facinus reputatur.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes innundaverunt. Terra.

Lectio v.

EReptì tamen é præsenti discrimine, Judicis interventu rapiuntur in vincula, & adstricti ferro furibus admiscentur. Et cúm penitús vigor membris deesset, qui ferret supplicium, non tamen destitit lingua á docendo veritatis oraculo. Ibi etiam prædicant Evangelium, vanitatem refellunt, instare mortem tyranno denuntiant. Nec fuit vana prædictio. Nám post paucos menses, cúm Martyrum corpora, quæ palis affixa de solario despiciebat, cremari jussisset, eodem articulo, Angelo linguam percutiente, vocem amisit; atque inter suorum manus elatus in stratum, priusquám rogus sanctorum cadaverum extingueretur, ipse vita exemptus est, & æternis ignibus deputatus. Illi veró, quód evangelizando in fanum suum intranssent, jubentur, priús manibus, pedibusque præcisis, decollari postremò.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes prò Christi nomine: Ut heredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes.

Lectio vj.

GAudent tali decreto famuli Christi; instat ferocissimus carnifex, clamat, frendet, minatur; festinare ad pœnam jubet electos, quos utiquè cernebat majorem habere migrandi affectum, quám ipse gerebat interitum inferendi. Statuti igitur in loco supplicii Martyres sancti, antequám lictor admoneret, palmas extendunt, lacertos parant, injectumque jugulum cúm manibus excepissent, in diversa manus dissiliunt. Deindé cruribus amputatis, nulla compuncti tristitia decollantur: & ipsis etiam hostibus tali spectaculo stupefactis, & de Christianis indulgentiús sentientibus, ultrá amnem patibulis affiguntur anno Domini octingentesimo quinquagesimo secundo, die decima sexta Septemb.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus. & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi

Quo-

Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

Lectiones tertii Nocturni de Homilia in Evangelium: Cúm audieritis prælia, *pag.* 13.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

In festo Sanctæ Pomposæ Virg. & Mart. Dup.

Offic. ut in die Sanctæ Leocritiæ, pag. 69. exceptis sequentibus.

Oratio.

INdulgentiam nobis, quæsumus Domine, Beata Pomposa virgo, & martyr imploret: quæ tibi grata semper extitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,
Lectiones de Script. occurrente.

In secundo Nocturno,
Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 3. cap. 11.

Lectio jv.

BEata virgo Pomposa in Sancti Salvatoris cœnobium paternis sumptibus ad Pinnam Mellariam ædificatum, cum parentibus, ac propinquis mundum spernens, Christo militatura se contulit. Tradunt, eam inter illum suorum conventum pulchriorem gratiá sanctitatis floruisse. Lectioni, & meditationi Scripturarum vacabat; instabat vigiliis; jejuniis, & orationibus crebriús incubabat. Cúmque summæ sanctimoniæ studium gereret, serviretque Deo fideliter, mox ut beatæ Columbæ martyrium comperit, illicò interiús desiderio succensa martyrii, quemadmodúm ad illud pertingere posset, assidué cogitabat.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna. * Et deducet te.

Lectio v.

FErunt namqué, multò anté Beatam virginem ad martyrium convolaturam fuisse, nisi quibusdam suorum impediretur repagulis, qui eam causa sævientium persecutionum arcta servabant custodia. Sed quadam nocte consummata in Dei laudibus nocturna vigilia, unus é fratribus suis, cæteris quiescendi gratia regredientibus ad cubilia, quasi divinitús moneretur, & certé non siné providentia Domini, arrepta clave, fores inconsuetus aperuit. Ad quas illa silentér accedens, & clám ostium reserans vadit per tenebras noctis cœlesti lumine illustrata; totumque illud iter vasta horridum solitudine anté lucis crepusculum in meditatjone

ne obeundi martyrii lætabunda confecit.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea unxit.

Lectio vj.

CLarescente autem manè urbem ingreditur, seseque obtutibus Judicis præsentare non differt, apud quem sanctæ fidei rationem exponens, vatemque impudicum simplici exhortatione confundens, confestim gladio trucidari jubetur; sicque anté fores palatii constituta, exempto capite, consternatur; anno Domini octingentesimo quinquagesimo tertio, decimo tertio Kalendas Octobris. Cujus cadaver é flumine, in quod projectum erat, eductum quorundam mercenariorum opera in foveam, congesto pulvere, humatum est; ac post dies pené viginti quorundam Monachorum industria indé sublatum, & in æde B. Eulaliæ ad pedes sanctæ Columbæ sepultum est, ut quæ se in vita sua tanta charitate dilexerant, morte etiam, ac sepultura indivisæ manerent.

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximę ejus: * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna. * Afferentur tibi. Gloria. Afferentur.

In tertio Nocturno,

Homilia in Evangelium: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, *pag.* 140. *cum* 9. *Lect. Ss. M. Mauritii, & Sociot.*

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS.

In festo Ss. Adulphi, & Joannis Mart. Dup.

Offic. ut in die Ss. Gumesindi, & Servidei, pag. 1. *præter hæc, quæ sequuntur.*

Oratio.

QUæsumus, omnipotens Deus, ut nobis geminata lætitia in beatorum Martyrum tuorum Adulphi, & Joannis natalitio spiritualium conferat gratiam gaudiorum: per quam fidelium mentes in viam æternæ salutis, eorum intercessione dirigantur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno,

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 2. *cap.* 8.

Lectio jv.

ADulphus, & Joannes Hispali nobilissimis parentibus orti, Cordubam cum Artemia matre spectatæ virtutis fœmina, & cum Aurea sorore virgine, & martyre venientes, primi sub initium regni Abdarragmam.

mam, viam aperuere martyrio. Quippé pulcherrima morte pro Christi fide suscepta, velut clarissima sydera nova Ecclesiam luce compleverunt, & exemplo suo debiles ad eamdem triumphi gloriam confirmarunt, anno Domini octingentesimo vigesimo quinto. Scripsit eorum gesta Abbas Spera in Deo, ejus sæculi clarissimus auctor; memoriam beatus celebravit Eulogius.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes innundaverunt. Terra.

Lectio v.

QUuotiescumque, *ut in pagin.* 9.

Lectio vj.

SED nos volumus, *ut in pagin.* 10.

In tertio Nocturno,

Evangelium: Cùm audieritis prælia, *pag.* 13.

Octav. ℟. Hæc est vera fraternitas, quæ numquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominum: * Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna cælestia. ℣. Ecce quám bonum & quám jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes aulam. Gloria Patri. Contemnentes aulam.

DIE XIII. OCTOBRIS.

In festo Sanctorum Fausti, Januarii, & Martialis Mart.

Dup.

Offic. ut in die Ss. Gumesindi, & Servidei, pag. 1.

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus: ut qui beatorum Martyrum Fausti, Januarii, & Martialis veneranda natalitia annua solemnitate recolimus, eorum patrociniis æternæ vitæ suffragia consequamur. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones: Fratres debitores sumus, *pag.* 58.

In secundo Nocturno,

Ex Hispaniæ Breviariis, & Sanctoral. & ex S. Isidori Missali, & Breviar.

Lectio jv.

FAustus, Januarius, & Martialis Cordubæ, quæ est civitas Hispaniæ, sanctissimé degebant, cùm Eugenius Præses eamdem civitatem ingressus, eos ad se vocavit, & quem potissimúm Deum colerent, interrogavit. Quibus Christum Dominum omnium creatorem se colere fatentibus; iterúm Eugenius instat: Quænam vos execrata, penitusque destituta socie-

cietas in pernitiem agit? Nulla est, Faustus retulit, pernities major, quám quæ te, Præses, exagitat, ut Deum verum nos abnegare contendas.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra.

Lectio v.

TUnc Eugenius iræ impatiens: Rapite eum vos, ait, & in equuleo quám primùm suspendite, ut irrevereri Præfectum, quanti constet, suo malo condiscat. Sed Januarius Fausto invidens, felicissimum appellabat, quód prior ipse viam fecisset ad martyrium. Ad Martialem autem Eugenius ait: Quis te horum insanæ societati addixit? Pone furorem, & nostris præceptis obtempera. Cui Martialis respondit: Deus omnipotens, qui condidit cœlum, & terram, te impie, puniet, meritasque de te pœnas sumet.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut heredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes.

Lectio vj.

NON ultrá continuit iram Eugenius; sed torquete, clamat, hos deliros; aures, naresque eis abscindite, supercilia eradite, dentes insupér infringite. Quod cúm fieret, gratias Deo agebant Sancti, seque mutuo animabant. Eugenius iterúm Martialem á proposito sancto avertere conabatur, dinumerans, quæ tormenta, quæ mortes Christi cultores sequerentur. Sed nihil proficiens, tandem, ut igni tres simul traderentur, imperavit, ubi gloriosum martyrium consummarunt.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno,

Evangelium cum sua Homilia: Descendens Jesus de monte, *pag.* 147.

FESTA NOVEMBRIS,

DIE XVII.

In festo Ss. Aciscli, & Victoriæ Mart. Patron. Corduben. Dup. 1. clas. & cum octava.

Offic.

Offic. ut in die Ss. Gumesindi, & Servidei, pag. 1. præter hæc, quæ sequuntur.

Ad Vesp. Añæ. Laudum; Psalmi veró de pag. 1.

Ad Magnificat,

Aña. Præses Dion rotas jubet afferri, atque sub rotis ignem accendi, & oleum desuper infundi, ut sancti Martyres gravissimé torquerentur.

Oratio.

DEus, qui familiam tuam beatorum fratrum, & Martyrum tuorum Aciscli, & Victoriæ gloriosis confessionibus circundas, & protegis: concede propitius; ut quos Patronos agnoscimus, eorum meritis, & intercesionibus ab omnibus adversitatibus liberemur. Per Dominum nostrum.

Lectiones primi Nocturni, Fratres debitores sumus, *ut in pag.* 58.

℞. 1. Præses Dion carceres, cruciatus, mortem deniqué Christianis, nisi idolis sacrificarent, minabatur; sed Acisclus, & Victoria minas contempserunt. * Et inventi sunt strenui, & fortes in christiana religione. ℣. Ad Præsidem ducti fratres sanctissimi, nihili se facere jussa Principum audactér prædicabant. Et inventi.

℞. 2. Vos né estis, qui jussa Principum, & sacra Deorum contemnitis? * At illi nos, inquiunt, præstamus Christo vero Deo debitam servitutem, non autem dœmonibus, surdisque lapidibus. ℣. Erubuit Præses ad tám audax responsum, & in ima carceris eos contrudi præcepit. At illi nos, inquiunt prestamus.

℞. 3. Educti ad Præsidem Martyres gloriosi in rogum ignis comburendi projiciuntur. * Sed suscepti ab Angelis Deo laudes alta voce personabant. ℣. Stupefactus Dion imperat, illos in flumen ingentibus saxis alligatos projici. Sed suscepti. Gloria. Sed suscepti.

In secundo Nocturno,

Lectio jv.

Ex Hispaniæ Breviariis, & antiquis Sanctoralibus.

CUM Cordubæ Dion Præses carceres, sævos cruciatus, mortem deniqué Christianis indiceret, nisi sacra continuó diis facerent: Acisclus, & Victoria fratres sunt ibi reperti, adeó strenui, ac fortes in asserenda christiana religione, ut ad presidem ducti, nihili se facere jussa Principum audactér prædicarent. Quibus Dion Præses dixit: Vos né estis, qui sacra deorum contemnitis? Nos, inquit Acisclus, præstamus Christo vero Deo debitam servitutem; non autem dæmonibus, surdisque lapidibus. Erubuit Præses ad tàm audax responsum, & in ima

car-

carceris eos contrudi præcepit; ubi cœlesti ab Angelis cibo refecti, postera die sævissima verbera pertulerunt.

℟. Convertit Dominus faciem suam super Sanctos suos. * Et visitavit eos per Angelos suos. ℣. Angelis suis Deus mandavit de illis: ut custodiant eos in omnibus viis suis. Et visitavit eos.

Lectio v.

ALtera die de carcere eductos jubet Præses in caminum ignis præcipitari: sed suscepti ab Angelis, Deo laudes alta voce personabant. Quaré stupefactus Dion imperat, illos in flumen cum ingentibus saxis projici. Non tamen ibi angelicum eis defuit patrocinium: nám mediis in fluctibus non mergebantur. Quin media citér nocte vox audita est, eorum vota non irrita fore denuntians. Tunc candida nube obtecti, Christum inter dulces Angelorum concentus perspexerunt.

℟. Pueri mei nolite timere; quia ego vobiscum sum, dicit Dominus. * Si transieritis per ignem, flamma non nocebit, & odor ignis non erit in vobis. ℣. Liberabo vos de manu pessimorum, & eruam vos de manu fortium. Si transieritis.

Lectio vj.

HIS perspectis, Dion rotas jubet afferri, atque sub rotis ignem accendi, & oleum desupér infundi, né mora ulla esset, quin Acisclus, & Victoria momento consumerentur. Quibus rotis circumamictis, corpora certé crudelitér quassabantur. Cæterúm sancti Martyres precibus instabant rogantes, ut ignis extingueretur, né Victoria Dion exultaret. Itaqué subitó prorumpens flamma quám plurimos deorum cultores interfecit. Prorsús cúm vinci tormentis non possent, Victoria post præcisam linguam, & ubera, ex quibus lac pro sanguine fluxit, sagittis confecta est, Acisclus decollatus: ubi ob commendationem pretiosæ mortis eorum eodem die in singulos annos rosæ divinitùs ortæ colligebantur.

℟. In tormentis rotarum te Deum nostrum non negavimus. * Et ad ignem applicati te Dominum Jesum Christum confessi sumus. ℣. Probasti cor nostrum, & visitasti nocte. Et ad ignem. Gloria. Et ad ignem.

In tertio Nocturno,

Lectio S. Evangelii secundúm Matthæum. *Cap.* 5.

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, & cúm sedisset, accesserunt

runt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia S. Leonis Papæ.

De festo Omnium Sanctorum.

Lectio vij.

QUalis sit igitur doctrina Christi, sacræ ipsius sententiæ protestantur, ut qui ad æternam beatitudinem pervenire desiderant, gradus felicissimæ ascensionis agnoscant. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. De quibus pauperibus veritas loqueretur, forté esset ambiguum; si dicens, beati pauperes, nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate: & sufficere videretur ad promerendum regnum cœlorum ea sola inopia, quam multi sub dura, & gravi necessitate patiuntur. Sed cum ait: Beati pauperes spiritu, ostendit eis regnum cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum magis, quám indigentia facultatum.

℟. Grati facti sunt Domino in certamine, quia apud Deum, & homines glorificati sunt, & in conspectu principis loquebantur sapientiam. * Et Dominus omnium dilexit eos. ℣. Adjuvavit eos Deus vultu suo, Deus in medio eorum non commovebitur. Et Dominus.

Lectio viij.

DUbitari autem non potest, quód humilitatis istius bonum faciliús pauperes, quám divites asequantur. Dum & illis in tenuitate amica est mansuetudo, & istis in divitiis familiaris elatio. Verúmtamen & in plerisque divitibus invenitur hic animus, qui abundantia sua non ad tumorem superbiæ, sed ad opera benignitatis utatur: idque pro lucris maximis numeret, quod ad relevandam miseriam alieni laboris impenderit.

℟. Hæc est vera fraternitas, quæ nunquám potuit violari certamine: qui effuso sanguine, secuti sunt Dominum. * Contemnentes aulam regiam pervenerunt ad regna cœlestia. ℣. Ecce quám bonum, & quám jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes. Gloria Patri. Contemnentes.

Lectio jx.

OMni generi, atque ordini hominum datur in hac virtute consortium: quia possunt esse proposito pares, & impares censu. Nec interest, quantum sint in terrena facultate dissimiles, qui in spiritualibus bonis inveniuntur æquales. Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed cœlestibus bonis ditescere concupiscit.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

AD LAUDES,
& per Horas, Añæ.

CUM Dion Præses mortem Christianis minitaretur, nisi idolis sacrificarent, Acisclus, & Victoria strenui, & fortes in religione reperti sunt.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliquis*, *pag.* 15.

Aña. Vos né estis, qui sacra deorum contemnitis? Nos, inquit Acisclus, præstamus vero Deo debitam servitutem.

Aña. Cúm sancti fratres in flumen ingentibus saxis alligati projicerentur, nec ibi angelicum illis defuit patrocinium.

Aña. Cúm jussu Præsidis in caminum ignis Sancti præcipitarentur, suscepti ab Angelis Deo laudes alta voce personabant.

Aña. Candida nube obtecti sancti Martyres, Christum inter dulces Angelorum concentus perspexerunt.

Capit. Hymn. & Vers. de die Ss. Gumesindi, & Servidei, pag. 18.

Ad Benedictus,

Aña. Né Victoria Præses exultaret, instabant Sancti Martyres rogantes Dominum, ut rogus extingueretur; itaqué subitò prorumpens flamma quám plurimos deorum cultores interfecit.

Oratio.

DEus, qui familiam tuam beatorum fratrum, & Martyrum tuorum Aciscli, & Victoriæ gloriosis confessionibus circundas, & protegis: concede propitius; ut quos Patronos agnoscimus, eorum meritis, & intercessionibus ab omnibus adversitatibus liberemur. Per Dominum nostrum.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus: cætera de die Ss. Gumesindi, & Servidei.

Ad Vesp. Añæ. Laud. Psalm. Capit. Hymn. & Vers. de eadem die.

Ad Magnificat,

Aña. Cum vinci tormentis non possent gloriosi Martyres, Victoria sagittis confecta est, Acisclus decollatus. Quæ die ob commendationem pretiosę mortis fratrum sanctissimorum rosæ divinitús ortæ colligebantur.

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

Octava Sanctorum Martyrum Aciscli, & Victoriæ, sicut in die præter ea, quæ sequuntur.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno,

Ex sermone S. Basilii in Quadraginta Martyres.

Lectio jv.

HI sunt, qui nostram obtinentes regionem, quasi quæ-

quædam turres contrá adversariorum incursus refugium exhibent. Paratum est hic Christianis auxilium. Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat, qui rursus lætatur, hos oret: hic ut á malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis. Híc mulier orans pro filiis auditur; peregrinanti viro reditum incolumen, ægrotanti verò salutem implorat. Cum his ergo Martyribus nostras effundamus preces; communes enim sunt generis humani custodes, optimi curarum socii: precum, ac votorum invicem suffragatores, legati apud Deum potentissimi, astra mundi, flores Ecclesiarum.

℟. Convertit Dominus faciem suam super Sanctos suos. * Et visitavit eos per Angelos suos. ℣. Angelis suis Deus mandavit de illis: ut custodiant eos in omnibus viis suis. Et visitavit eos.

Ex lib. 4. *S. Joannis Damasceni de orthodoxa fide.* Cap. 16.

Lectio v.

SI autem & Rex regnantium, & Dominus dominantium, & Deus deorum conditur; omnium, & Dominus dicitur; omnino & sancti Dii, & Domini, & Reges. Nám Deum Pharaonis fecit Deus Moysem, Deos autem dico, & Reges, & Dominos, non natura, sed ut affectus regentes, illorum dominantes, & divinæ imaginis similitudinem secundúm quam geniti fuerunt, inobliteratam custodientes, nám & dicitur rex regis imago, qui uniti sunt Deo secundúm voluntatem, quique illum suscipiunt inhabitatorem, & qui id participatione sunt effecti gratia, quod ipse est natura.

℟. Pueri mei nolite timere, quia ego vobiscum sum, dicit Dominus. * Si transieritis per ignem, flamma non nocebit, & odor ignis non erit in vobis. ℣. Liberabo vos de manu pessimorum, & eruam vos de manu fortium. Si transieritis.

Lectio vj.

QUomodó igitur non honorandi sunt, qui cultores, & amici, & filii Dei existunt? Nam honor ergà gratos, & benignos conservos, benevolentiæ ergá communem Dominum indicium est. Hi promptuarium Dei, & pura habitacula facti sunt. Inhabitabo enim eos, dicit Dominus, & inambulabo, & ero eorum Deus; & quod Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos mors, dicit divina Scriptura. Nám mors Sanctorum dormitio magis est, quám mors. Laboraverunt enim in præsenti sæculo; & vivunt in æternum.

℟. In tormentis rotarum te Deum nostrum non negavimus.

*

* Et ad ignem applicati te Dominum Jesum Christum confessi sumus. ℣. Probasti Domine cor nostrum, & visitasti nocte. Et ad ignem. Gloria. Et ad ignem.

In tertio Nocturno,

Lectio sancti Evangelii secundúm Matthæum. *Cap.* 5.

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, & cúm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia ex tractatu S. Gregorii Nisseni, de Beatitudinibus.

Lectio vij.

QUoniam igitur ascendit Dominus in montem, audiamus Isaiam clamantem: Venite ascendamus in montem Domini. Nam si in summum jugum evaserimus, inveniemus, qui medeatur omni morbo, omnique languori. Contemplemur ex specula bona illa, quæ secutis in altitudinem verbum ostendit. Sumatur autem à nobis initium contemplationis, undé doctrinæ dictorum initium cœpit.

℟. Grati facti sunt Domino certamine, quia apud Deum, & homines glorificati sunt, & in conspectu principis loquebantur sapientiam. * Et Dominus omnium dilexit eos. ℣. Adjuvavit eos Deus vultu suo, Deus in medio eorum non commovebitur. Et Dominus.

Lectio viij.

BEati, inquit, pauperes spiritu, quoniam eorum est regnum cœlorum. Si quis avarus incidat in tabulas, thesaurum alicubi absconditum indicantes; numquid ad labores oblanguescet, & in lucro quę rendo segnis erit? Hic est ille thesaurus, fratres, quem Scriptura indicat. Absconditæ autem præ obscuritate divitiæ sunt. Duo divitiarum esse genera á Scriptura didicimus: unum, quod probetur, & expectetur: alterum, quod damnetur, & improbetur. Expetendæ quidem, atque probandæ virtutum divitiæ sunt: criminationibus autem obnoxiæ sunt, & improbantur materiales pariter, atque terrenæ. Quoniam illæ quidem animæ opes existunt, hæ verò ad decipienda sensuum vasa idoneæ sunt.

℟. Hæc est vera fraternitas, quę nunquám potuit violari certamine: qui effuso sanguine, secuti sunt Dominum. * Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna cœlestia. ℣. Ecce quám bonum, & quám jucundum habitare fratres in unum. * Contemnentes. Gloria Patri. Contemnentes.

DIE

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

In festo Inventionis Sanctorum Martyrum Fausti, Januarii, Martialis, Zoyli, Aciscli, & aliorum, Dup.

Offic. ut in festo Ss. Gumesindi, & Servidei, pag. 1. præter ea, quæ hic apponuntur propria.

Oratio.

DEus, qui populum tuum tám mira Sanctorum Martyrum Fausti, Januarii, Martialis, & aliorum inventione lætificas: concede propitius; ut quorum corpora veneramur in terris, eorum mentibus associemur in cœlis. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones: Fratres debitores sumus, *ut in pag.* 58.

In secundo Nocturno,

Ex monumentis Ecclesiæ Divi Petri Cordubensis, & ex causa acta Romæ, & in Concilio Provinciali Toletano, ejusque decreto de veneratione, & collocatione harum Reliquiarum.

Lectio jv.

COrduba à Christianis post Arabicam servitutem recuperata, Sanctorum Reliquiæ Martyrum, quæ, evanescente simul cum ætatibus hominum memoria, ignoratæ diutiús jacuerunt; tamen anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, undecimo Kalendas Decembris in Æde Beati Petri, sub cujus turrim constanti hominum fama, & opinione conditæ esse ferebantur, divinitús sunt inventæ. Quippé cúm ad substruendum Sacelli majoris arcum fundamenta fodi cœpissent, sepulchrum ex lapide non omninó rudi opere factum apparuit: quod foramen habebat in summo parvum, condendis ossibus, non inferendis corporibus aptum. Ex quo lapis ex jaspide eminebat, in quem incisa erant Sanctorum Martyrum nomina Fausti, Januarii, Martialis, Zoyli, & Acisci, & aliorum præ vetustate literæ exesæ.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes pręceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes innundaverunt. Terra.

Lectio v.

HUnc indè olim erutum anté annos feré centum quadraginta, ut testis esset quietis suorum Martyrum, è mediis jacturæ periculis Deus eripuit, ac servavit. Templi enim ædificiis inclusus, aut abjectus in angulis, ac deniqué obrutus etiam, in ignoratione tamdiú delituit, quoád invento sepulcro, investigatum

&

& in ejus foramen impositum, tám apté cecidit, ut ad illud tantummodó claudendum, & memoriam Sanctorum Martyrum conservandam factus siné dubio videretur. Visus sæpé in eo loco, ubi sepulchrum jacebat, anté inventa Martyrum ossa, splendor eximus, & faces accensæ por noctem; sæpé cœlestis odor afflatus, sed maximé cúm effoderunt, acceptus.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut heredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut heredes.

Lectio vj.

QUaré ad Episcopum causa defertur; ejus edicto sepulchrum effoditur: lapis in eo, insculpta introsùm cruce, repertus; crania pené integra novem, ac feré totidem fracta; ingens prætereá ossium copia, in quibus nonnulla combusta. Episcopus, quæstione per suos Vicarios habita, & causa cognita, itá censuit: Quoniam præter fidem lapidis, idonei testes, & causę merita itá suadeant, videri sibi Sanctorum Martyrum, quos lapis nominat, & aliorum prætereá, qui ad eos adjuncti sunt, & fuisse, & esse Reliquias. Quod ad cultum, & venerationem attinet, decernere, ut Summi Pontificis requiratur authoritas. Qua certé accedente, Concilium Provinciale Toleti coactum, Episcopi sententia approbata, Reliquias Martyrum catholico ritu coli, ac decenti loco reponi præcepit. Exindé ara ex sepulcro excitata, impositis sacris ossibus, solemni in singulos annos Senatus, Populique, & Cleri totiús pompa, & supplicatione celebratur.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * quoniam donum, & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In tertio Nocturno,

Evangelium cum sua Homilia: Descendens Jesus de monte, *pag.* 147.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

In festo Sanctarum Floræ, & Mariæ Virginum, & Martyrum, Dupl.

Offic. ut in festo Sanctæ Leocritię, pag. 69. præter sequentia.

In utrisque Vesperis ad Magnificat, & in Laudibus ad Benedictus,

Aña. Prudentes Virgines, aptate vestras lampades: ecce spon-

sponsus venit, exite obviam ei. ℣. Adducentur Regi virgines post eam. ℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Oratio.

SAnctarum Virginum, & Martyrum tuarum Floræ, & Mariæ, quæsumus Domine, beata solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos; ut earum intercessione placatus, semper á nobis mala omnia, quę meremur, avertas. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones de Script. occurrente.

In secundo Nocturno,

Ex D. Eulogio in Memoriali Sanctorum, lib. 2. cap. 8.

Lectio jv.

BEata Flora venustate corporis, & interiori animi habitu florentissima, ethnico patre Hispalensi genita, á christiana matre Cordubensi sacræ religionis legibus imbuta, quadragesimalem inediam adhúc infantula, erogato clám in pauperes prandio, transigebat. Ac matris precibus, & minis adducta, corpusculum semél, idque seró refecit in die. Cùm impius illam frater ad superstitionem suam compelleret, cum sorore sua domo se fuga subduxit. Sed cúm Ecclesiam audiret á fratre ob eam causam affligi, domum regressa: En, inquit ad fratrem, ego, quam quæritis, adsum: satagite crudelioribus tormentis fidem meam evincere: credo, probabitis me inter pœnas fortiori pertinacia, quám nunc in prima congressione Christum confiteri. Quam cúm ille à proposito ulla ratione revocare non posset, ad Judicem pertrahit.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna. * Et deducet te.

Lectio v.

APud eum illa fidei rationem exponit, quam ut audivit, immani furore in cædem Martyris succensus, inter utrumque satellitem, apprehensis manibus, eam extendi præcepit; diroque verbere caput ejus pertundens, tamdiú flagris insistit, quousqué decisa cum cæsarie cute, os verticis nudum pateret. Perdurat nihilominús adolescens Martyr, & virgo in sua confessione. Túnc Judex semivivam, & pené exanimem impio fratri tradidit pervertendam. Sed illa, ubi; adhibita curatione, vires collegit, frustrata custodes ad Tuccitanam urbem, vulgó Martos appellant, confugit: & in ejus viculo cum sorore delituit, donec dicente sibi interiús Christo: Iterúm venio crucifigi, alacris é latibulo ad martyrium properavit. Cujus

jus comitem habuit beatam Mariam, sancti martyris Vvalabonsi sororem.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea unxit.

Lectio vj.

HÆC cúm fratris desiderio suspiraret, sanctus Martyr per quietem quamdam admonet religiosam, ut jam soror Maria pro se plorare desistat, quoniam proximo tempore ad se esset in superna ventura. Ex eo die uritur cor virginis amore martyrii: cujus potiundi studio é cœnobio suo Cuteclarensi descendens, beati Aciscli Ecclesiam in ipso adhúc itinere posita ingreditur: inibique beatam Floram precantem offendit. Túm se invicem, datis osculis, salutantes, communicato martyrii voto, Judicem adiere. Quas ille Christum constantissimé confitentes post acriores minas in custodiam tradit; ac post longum deindé squalorem carceris jugulatas feris, ac volucribus discerpendas exponit, ac postero die in flumen projecit. Utriusque caput in Æde Beati Aciscli sepultum est: Mariæ corpus è flumine in cœnobium Cuteclarense translatum est: Floræ, ubi quiescat, ignoratur. Passæ sunt octavo Kalendas Decembris, anno Domini octingentesimo quinquagesimo primo.

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in letitia, & exultatione. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperé procede, & regna. * Afferentur tibi. Gloria. Afferentur.

In tertio Nocturno,

Evangelium: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, *pag.* 140.

ADDITAMENTUM.

DIE XIII. AUGUSTI.

In festo S. Hippolyti Martyris Romani, insignis Ecclesiæ Regalis, & Collegiatæ Civitatis Cordubensis Titularis. In Matrice Dup. In Collegiata Dup. 1. clas. cum Octava, Offic. ut in Festo Divi Eulogii, pag. 56. præter sequentia propria.

Oratio.

DA, quæsumus omnipotens Deus, ut beati Hippolyti Martyris tui veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

In Matrice lect. de Scrip. occurr. In Ecclesia Colleg. Fratres debitores, *pag.* 58.

In secundo Nocturno,

Ex actibus fidelioribus, & Romano Breviario.

Lectio jv.

HIppolytus á Sancto Laurentio baptizatus, domi suæ, dum Eucharistiam sumeret, comprehensus, & ad Valerianum Imperatorem adductus, ab eo de suæ Religionis professione interrogatus, liberé se Christianum professus est, Quam ob rem fustibus cæditur: quibus in verberibus cúm ejus fides constantior inveniretur, muneribus, & honorum promissis tentatur. Quæ cúm omnia frustrá dicerentur, Præfecto occidendus traditur.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio v.

QUI domum Hippolyti veniens, ut ejus facultates publicaret, totam familiam Christianam esse cognoscit: atque iis á Christiana fide frustrá deterritis, primúm plumbatis cæsa Concordia Hippolyti nutrice, quæ cæteros confirmabat, reliquos extrà portam Tiburtinam occidi jubet. Hippolytus indomitis equis raptatus per loca tribulis, & carduis consita, lacerato corpore, spiritum Deo reddidit, unáque cum reliquis à Justino Presbytero ad agrum Veranum sepultus est.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio vj.

SED cúm idem Justinus corpus Concordiæ invenire non posset, miles quidam Porphyrius rogavit Irenæum cloacarium, ut corpus Concordiæ in cloacam projectum extraheret. Sperabat enim aurum, & gemmas se in vestibus ejus reperturum. Extracto corpore, cum nihil miles reperisset eorum, quæ putaverat, aufugit. Irenæus vero, vocato ad se Abundio Christiano, ambo corpus Sanctę Concordię ad Justinum Presbyterum detulerunt; quod ille juxta Hippolytum, sociosque sepelivit.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris po-

tavit illum. * Et coronam pulchitudinis. Gloria Patri. * Et coronam.

In tertio Nocturno,

Lectio Sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12.

IN illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Attendite á fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. *in Luc. cap.* 52.

DE hoc fermento Apostolus præcipit: itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis. Nám sicut modicum fermentum totam farinæ, cui injicitur, massam corrumpit, universamque móx conspersionem suo sapore commaculat: sic nimirùm simulatio, cujus semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate, & veritate fraudabit.

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Expressa.

Lectio viij.

EST ergó sensus: Attendite, né æmulemini simulatores; quia veniet profectó tempus, in quo & vestra virtus omnibus, & eorum reveletur hyprocrisis. Verúm quod sequitur: quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: non solúm in futuro, quando cuncta cordium abscondita proferentur ad lucem; sed & in presenti tempore potest congruentér accipi: quoniam, quæ inter tenebras quondám pressurarum, carcerumque umbras, vel locuti, vel passi sunt Apostoli, núnc clarificata per orbem Ecclesia, lectis eorum actibus publicé predicantur.

℟. Hic est veré martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Qui minas. Gloria Patri. * Qui minas.

Lectio jx.

DIco autem vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui occidunt corpus: & post hæc non habent quid faciant. Si persecutores Sanctorum, occisis corporibus, non habent amplius, quid contra illos agant; ergo supervacua furunt insania, qui mortua Martyrum membra feris,

ris, avibusque discerpenda projiciunt; cúm nequaquam Omnipotentiæ Dei, quin ea resuscitando vivificet, obsistere possint. Et quia duo sunt genera persecutorum; unum palám sęvientium, alterum ficté, fraudulentérque blandientium: contrà utrumque nos munire volens Salvator, & ab hyprocrisi Pharisæorum attendere, & á cæde carnificum præcipit non timere.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

In Cathedrali veró loco suporioris lectionis dicitur hæc nona lectio pro S. Cassiano Mart.

EAdem die ad forum Syllæ, crudelissimo supplicio affectus est Cassianus Martyr: qui, vinctis post terga manibus, puerorum, quos erudiebat, ferreis stylis configendus, excarnificandusque traditur. Quorum quantó erat infirmior vis, tantó ejus pœna martyrii gravior, ac diuturnior, palmaque illustrior.

In Laudibus, & in Missa: In virtute tua, *Oratio propria in singulari, cum Evangelio de Officio; commem. Octav. S. Laurentii, & S. Cassiani, Aña. & Vers. de* 1. *Vesp. Oratio*: Infirmitatem, *de commun. In* 2. *Vesp. comm. Octav. S. Laurentii, & S. Eusebii Conf.*

DIE XVII. SEPTEMBRIS,

In festo Beati Petri de Arbues Martyris, Canonici Ecclesię Cæsaraugustanæ, & primi Inquisitoris in Regno Aragoniæ, Dup. in Civitate, & Suburbiis tantúm ob Sanctę Inquisitionis Tribunal.

Offic. ut in die D. Eulogii, pag. 56. *præter ea, quæ hic apponuntur propia.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus omnipotens Deus; ut beati Petri Martyris tui fidem congrua devotione sectemur: qui pro ejusdem Fidei defensione, martyrii palmam meruit obtinere. Per Dominum nostrum.

In primo Nocturno,

Lectiones: Fratres debitores sumus, *pag.* 58.

In secundo Nocturno,

Lectio jv.

PEtrus cognomento de Arbues, Epilæ in Aragonia natus, á piis, honestisque parentibus, uná cum sanguinis claritate hausit & pietatem; ab ipsis enim incunabulis optimis moribus imbutus, pueritiam ita transegit, ut nihil priús in ætate illa sibi duxerit excolendum, quám literas, & Christianas virtutes. Adolescens liberalibus disciplinis eruditus, Bononiæ in Collegio Hispanorum adscriptus, doctrina, & eruditione adeó excelluit, ut inde Magistralem sacræ Theologiæ lauream reportaverit. Móx in Ca-

Canonicum Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ adscriptus, Regularem, quam voverat, observantiam, constantissimé semper retinuit: suæque non modó, sed alienæ etiam saluti pari studio, ac solicitudine invigilans, virtutibus omnibus sic enituit, ut Ferdinandus, & Elisabetha Catholici Hispaniarum Reges, cúm vellent é suis finibus Judaicam exterminare perfidiam, ipsum fidei Inquisitorem in Aragonia primum eligendum curaverint.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & á seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi.

Lectio v.

CUM igitur sacrum Inquisitionis munus pari animi ardore, & Fidei Catholicæ emolumento perageret, magnum sibi contraxit odium ab iis, qui Judaicam perfidiam mordicús asserebant, in eamque relapsi fuerant. De quorum insidiis per amicos, & consanguineos certior factus, eisque suadentibus, ut si vitæ consulere vellet, suscepto se ministerio abdicaret, constantér respondit; libentér se talem ob causam mortem subiturum, idque unicé optare, se ex malo Sacerdote bonum fieri martyrem. Nec abfuit optatis eventus: quippé nefarii illi homines, habito sæpé inter se conventiculo, necem in Dei servum machinati sunt, conductisque ad scelus perpetrandum siccariis, Petrum anté Corum Metropolitanæ Ecclesiæ orantem in principio Nocturni Officii, cúm ea Psalmi verba decantarentur: Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: Semper hi errant corde: iterato vulnere, lethalitér affecerunt.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum, in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio vj.

BIduum supervixit, Deo gratias agens, quód pro Fidei defensione mortem mereretur oppetere: eumdemque pro interfectoribus suis deprecans, post recepta Eclesiæ Sacramenta, decimo quinto Kalendas Octobris, anno á reparata salute millesimo quadrigentesimo octogesimo quinto oddormivit in Domino. Non defuerunt post mortem prodigia, quorum illud in primis memorabile, ac Apostolicæ Sedis judicio comprobatum multiplicatio nimirúm, & effervescentia effusi cruoris in eodem

Ec-

Ecclesię Metropolitanæ loco, in quo martyrium passus fuerat. Ejus corpus ibidèm Ferdinandus, & Elisabetha regali munificentia elaborato marmore sepeliendum curarunt: in sacellum deinde á Canonicorum ejusdem Ecclesiæ Collegio magnificè constructum translatum fuit, ubi ad præsens honorificé colitur; ejusque memoria, ut in cathalogo beatorum Martyrum in posterum haberetur, Alexander Papa Septimus indulsit.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectûs: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam pulchritudinis. Gloria. Et coronam.

In tertio Nocturno,

Lectio sancti Evangelii secundúm Matthæum.

Lectio vij. *Cap. 10. c.*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur: & occultum, quod non scietur. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. cap. 10. *post medium.*

DOminus diem judicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet: & ea, quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies judicii nulla hæc fuisse atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse: sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, & verbum ejus infidelibus nox est.

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prę̨venisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

Lectio viij.

ITaque id, quod á se dictum est, cum libertate fidei & confessionis vult esse loquendum: Idcircó quę in tenebris dicta sunt, prædicari jussit in lumine: ut quę secreto aurium commissa sunt, super tecta, id est, excelso loquentium præconio audiantur. Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Evangelicæ secretum in lumine prędicationis Apostolicæ revelandum, non timentes

eos,

eos, quibus cúm sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est, sed timentes potiús Deum, cui perdendæ in gehenna & animę & corporis sit potestas.

℟. Hic est veré martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas. Gloria Patri. Qui minas.

Si hoc festum venerit in Quat. Temporibus, dicitur nona Lectio, & commemor. Feriæ occurrentis.

Lectio jx.

NOlite timere eos qui occidunt corpus. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimendæ carnis admittendus est dolor: quando pro naturæ suæ atque originis conditione resoluta, in substantiam spiritualis animæ refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos, oportet liberam confitendi Dei habere constantiam: etiam conditionem, qua teneremur, adjecit: negaturum se eum Patri in cœlis, qui se hominibus in terra negasset: eum porró qui confessus coram hominibus se fuisset, á se in cœlis confitendum: qualesque nos nominis sui testes hominibus fuissemus, tali nos apud Deum Patrem testimonio ejus usuros.

Te Deum laudamus, *pag.* 14.

IN DIE OCTAVA S. Ferdin.

Omnia ut in die B. Alvari, pag. 30. *præter sequentia.*

Oratio.

DEus, qui beato Confessori tuo Ferdinando præliari prælia tua, & Fidei inimicos superare dedisti: concede; ut ejus nos intercessione muniti, ab hostibus mentis, & corporis liberemur. Per Dominum nostrum.

Lect. 1. *Noct. de Script. occurrent.*

In secundo Nocturno,

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Serm. 2. *de S. Victore.*

Lectio jv.

GAudete in Domino, dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo. Iterúm dico gaudete, quód factus de medio, appropiavit Deo, ut multó plures ejus intercessione salventur. In terris visus est, ut esset exemplo: in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hîc informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos



nos transferre desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullius eget?

℞. Honestum fecit, &c.

Lectio v.

HÆC dies gloriosæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus: exultemus, & lætemur in ea. Introivit in potentias Domini, gaudeamus, quia nunc potentior est ad salvandum. Hodié Ferdinandus posito corpore, tantò alacrior, quantò expeditior penetravit in sancta, similis factus in gloria Sanctorum. Hodié despecto mundo, & mundi principe triumphato, supra mundum victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Ascendit autem cum immensa supelectili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus. Sedet veteranus miles, debita jam suavitate & securitate quietus: securus quidem sibi, sed nostri solicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem! quam pari studio, etsi dispari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni. Nec facilé dixerim, quid virum astruat sanctiorem, horum favor, aut pavor illorum.

℞. Amavit eum, &c.

Lectio vj.

O Miles emerite, qui Christianæ militiæ duris laboribus Angelicę felicitatis requiem commutasti: respice ad imbelles & imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios, & spiritales nequitias tuis laudibus occupamur. Quám pium, quám dulce, quám suave, ó Ferdinande, in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum, & memoriale tuum, favus distilans in labiis captivorum, mel & lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis; ut & nos de nostra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris.

℞. Iste homo, &c.

In tertio Nocturno,

Lectio S. Evangelii secundúm Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Nolite timere pusillus grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.

Ex Sermone 25. *in initio.*

HOdié, Dominus Evangelici gregis pusilla & tenera primordia quám blanda exhortatione sit consolatus, audistis. Aufert spes anxias, dubios tollit eventus, omnemque propellit & ex-

excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur. Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebejo censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi invidet, qui elevatus ad summa, ipse se ad humilia dejicit, ad egena deponit.

℟. Iste est qui, &c.

Lectio viij.

SED scire convenit, Pater iste quis est, vel qualis est, vel quod regnum suis filiis repromittit. Quis sit iste Pater, quotidié te confitente cognoscis, cum clamas: Pater noster, qui es in Cœlis. Qualis autem sit, ipsa operum magnitudine pervidisti. Ex nihilo fecit cœlum, terram solidavit ex liquido, montes statuit ad stateram, maria intra legitimos terminos sola præcepti auctoritate conclusit. Verúm regni, quod promittit pusillis, desideras nosse qualitatem, ipse aperit, sic dicendo: Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cœlorum. Esse in Cœlo, mirum est: in Cœlo vivere, est majestatis.

℟. Sint lumbi vestri, &c.

Lectio jx.

QUid ergo cum terra illi, qui possidet cœlum? quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? Nisi forté placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala bonis sunt gratiora collatis. Sed videamus, quod dat Pater tantus consilium regnaturis. Vendite quæ possidetis, & date eleêmosynam. Si victuros vos, si regnaturos, si vos jam divites esse creditis in supernis, ubi futuri, quò migraturi, ubi regnaturi estis: vos illa, quę vestra sunt, jam præcedant: opes miseras misericordia computate: quæ humana sunt in divina convertite.

Te Deum Laudamus, *pag.* 14.

F I N I S.






Ha.
4118
C.A